1624

P. P. Camaldulen. sub prop. Varsaviam.


# VOX TVRTVRIS.

AVCTORE

F. DOMINICO GRAVINA

Ord. Prædicatorum Sacræ

Theolog. Magist.



# DE TVRTVRE operis huius argumẽto.

S. Bernardus ſer. 59. in Cant.

Col. 1. Ipſa auicula ſi emis, non magni: ſi diſcutis, non parui precii eſt. Et poſtea: Et quamlibet mulſi ſint, quos ita gemere audias, vnius, per omnium labia, vox ſonat. Et infra. Ergo ſi in terra noſtra, & flores apparuerunt, & vox TVRTVRIS audita eſt, profecto & viſu veritas comperta eſt, & auditu. Hæc ille.

Col. 2.

Col. 4.

BJ Bian. J. II. 12

ILLVSTRISS. ET REVE-
RENDISS. D. D.

# S.R.E. CARDINALI DE CREMONA Generali Inquisitori.

MOnasticæ disciplinæ professio, ab Ecclesiæ nascentis exordio, magno totius humani generis bono, vsque ad hæc nostra tempora producta (Illustrissime Princeps) cum sui odio lucem aspexit; & non secus ac ipsamet Christiana Religio vix orta ad cruces, ad ignes, ad amphitheatra, ad bestias est proclamata. Christiani, dicebant, ad leonem. Inde vtri vsque tot hostes, quot extranei, & quidē (ex Tertulliano in Apologet.) propriī, ex concussione Tyranni; ex æmulatione hæretici, at ex naturæ infirmitate (addam, & linguæ lubricitate) interdum domestici nostri, qui ob paucorum defectus, Religiosorum vitam in crimen adducunt, & apud pusillos eorundē eleuant auctoritatem. Si namque Tyrannos aspiciamus, illicò occurrunt Iuliani temeritas. Valentis audacia, Constantini Copronymi, & Leonis Armeni sæuitia, Habdalæ Regis Saracenorum irreligiositas, Henrici octaui, &

Elizabeth fæuitia, qui monachos (hoc est ex Nazianzeno ad Iulianum) Dei seruos, & discipulos, & cœlestium rerum cõtemplatores, has gregis Dñi primitias, has columnas, has fidei coronas, has preciosas, Margaritas, hos tẽpli illius lapides, cuius fundamẽtum, & lapis angularis est CHRISTVS, variè exagitarunt, vexarunt, trucidarunt. Periculosius bellum intulerunt Hæretici argumentis, & disputationibus statum religiosum impugnantes, & in vituperationem monasteriorum, & monachorum linguas armantes, vt Donatistæ Circuncelliones in Africa; Iouinianus in Italia; Vigilantius, Guillielmus, & Gyraldus, Caluinus in Gallijs, Vuitchleph in Anglia; Lutherus, Melancton in Germania, verè fæces mundi, & alimenta gehennæ. Sed non mirum, nam (vt dicebat Sanctus Antonius apud Sanctum Athanasium) omnes quidem Christianos diabolus odit, sed probos monachos, & virgines Christi nullo modo potest tolerare. Cum ergo principis tenebrarum hæretici sint filij, & discipuli, parentis sui stylum, atque vestigia imitantur. Adeo hæc indiuiduo nexu, Ecclesia scilicet & Religiosorũ cætus, coniuncta sunt; vt nullus vnquam fuerit iuratus Monachorum hostis, quin etiam toti Ecclesiæ funestum bellum indixerit. Vnde ea etiam nota, & titulo Magnus ille Petrus Alexandrinus (Theodorito teste) Arianum illum Lucium, lupum, & intrusum, à fide Chatholica extorrem deprehendit; quod nulli Episcopi, nulli presbyteri, non Monachi è sacris litteris hymnos depromptos canentes ad Episcopale solium sint comitati; iudicabat enim non potuisse amicum Ecclesiæ haberi, qui monachos à suo comitatu ablegasset. Ad domesticos pergo, qui, vt scribit Sanctus Basilius, existimantes á Monachis, naturales ex illorum corporibus funditus affectus omnes

mnes esse sublatos; si vel transuersum vnguem spiritalis vir à recto declinauerit, confestim eius accusatores existunt acerbissimi, ex vnius lapsu totum ordinem criminantes. Et sicut, in certamine cum pugil aliquis concidit, in eum aduersarius irrumpit, ipsumque ferit, & humo magis affigit; ita hunc similiter induunt maledictis, criminationibus, perindè vt iaculis petunt. Neque secum reputant, sexcentis se quotidie vitiosarum affectionum telis transfigi. Posset quidem Deus horum impetus retundere (vt scripsit Sanctus Thomas contra impugnantes Religionem) sed vt suauitatem prouidentia eius seruet, ministrorum suorum opera vtitur, vt Dei sint adiutores. Sic olim Nazianzenus in Iulianum insurexit, Basilius in Valentem, Hieronymus in Iouinianum, Chrysostomus aduersus vituperatores vitæ monasticæ, Aquinas & Bonauentura contra Doctores illos Parienses Gyraldum, & Guilielmum; nouissimè contra Nouatores egregij controuersiarum tractatores. Horum studia imitatus, superiori anno, cum paulisper æstiuo tempore à prælectionibus in Vniuersitate Regia feriarem, tractatum edidi de florenti sacrarum Religionum statu, ad omnium prædictorum maledicta retundenda, & pusillorum corda nutantia firmanda; sperans me (non secus ac Socrates qui Phoedonem ad scholam Philosophicã. & Xenocrates Polæmonem luxui deditum, ad meliorem viuendi rationem attraxerunt philosophorum exemplis) non tàm criminantium linguas, quàm omnes actus, tot heroum inculpabili vita, compositurum, & ad saniorem mentem traducturum. Proinde non de audacia taxandus sum, si doctioribus, & sapiẽtioribus stationem hanc non reliquerim occupandam, cui calumniantium necessitas officium modestæ defensionis imposuit. Nam

cum

cum de Deo, eiusdemque cultu, & ministris agitur, non leuis reatus est, si vnusquisque prout potest, iniurias non propulser. Nam vt rectè dixit S. Fulgentius, non vno eodemque silentio ille firmat errorem, qui errore, aut tepore possessus, silendo non adstruit veritatem, Dominicam quoquè gloriam, qui non firmarit euacuat, & diuinam contumeliam qui non refutarit, accumulat? Plerumque etiam miles ignauus regia castra somnolento corpore depressus oppugnantibus tradit, dum competentibus excubijs non defendit.

Sed cum cogitarem sub cuius auspicijs libellus iste in lucem edendus esset, illico non alieno impulsu, sed sponte sua tanquam naturali propensione. Illustrissimæ D. V. patrocinium, & clientelam veluti cynosuram suam adspexit. Tibi ergo has vtcumque lineatas lucubrationes meritò dico, & consecro, verius dicam, tuo eximio splẽdore exorno. Et cui melius florentissimum statum Religiosorũ dicare poterã, nisi illi qui inminoribus in S. Dominici familia præclarissima adeò floruit, vt è predicatoria toga immediatè, ob egregias animi dotes, ad pallium cardineum totius orbis admiratione, & aplausu trãsierit? Non maiorum exemplaria quærere opus est, vbi præsentia, & egregia facinora Vrbi, & orbi te spectabilem reddunt. quæ melius silentis linguæ præconijs efferuntur, quàm si in medium proferantur. Cui rationabilius, candidatorum virorum, Illustrium videlicet personarum, omnium ordinum vitam, & mores (qui crucis mortificationem in corpore Christi circumferentes nigredinis colorem circumferunt, & vsque ad sanguinem resistentes propriꝝ cruoris purpuratas circumferunt vestes) exponere poteram, nisi illi qui albam tunicam nigredine variegatam deferens, purpureus quoque ostrinus, & conhyliatus effulget, in

fidei

fidei defensionis symbolum, etiam cum propriæ vitæ profusione? Sed cui opportunius, quam vni ex supremis Quæsitoribus, quorum est ait Bernard. Epist 157. propellere [læsiones fidei, & iniurias Christi; Patrum probra, atque contemptus, præsentium scandala, pericula posterorum.] Patiatur ergo benignitas tua hanc opellam erigi in titulum, tanquam tuarum virtutum testimonium, gratitudinis meæ indicem, & meæ obseruantiæ erga tuam Dominationem Illustrissimam perpetuum monumentum. Cui si gratam fuisse cognouero, ad maiora quæ prę manibus habeo perficienda inçitabor. Valeat Illustrissima D. V. Neapoli in Conuentu Sanctę Mariæ sanitatis die 30. Aprilis 1624.

Illustriss. & Reuerendiss. D. V.

*Humillimus seruus*

F. Dominicus Grauina.

# PIIS LECTORIBVS RELIGIOSORVM ORDINVM Dominis meis. S. & Spiritus feruorem.

FERVET quotidie ab Aquilone succensa olla fumos putidos calumniarum, sycophantiarum, detractionum exhalans: nulla enim in re, sicut in epotandis calicibus Nouatores Lutherani, Caluiniani disertiores, quam cum de Catholicorum moribus obloquuntur, & impudenti, effrænique licentia magnaq; linguæ lubricitate facta infecta, fanda infanda, in Cænobitas præsertim, Moniales, in Cænobia, & Deo dicatorum nominũ collegia euomunt; suorũ tamen scelerum immemores. Vt quando in vno vel altero, aut pluribus Cænobitis, vt quidam eorum Pseudopropheta dixit, cõgererentur luxus, libido, ambitio, auaritia, & si quid præterea criminum est totam hanc vitiorum lernam vna superat hæresis.

At benedictus Deus, quod eodem tempore, quo ollam succensam videmus: Virgam vigilantem (vel vt alij vertunt) virgam amygdalinam quoq; inspicimus florentium adhuc Religionum: & primitas spiritus, quas patres eorum acceperant, innouari senescente iam mundo: & ossa Patrum, quasi herbam germinare in filijs suis experimur: vt etiam manus Dñi in seruis suis agnoscatur, & vocet eos. Populus sanctus, redempti à Domino: illudq; etiam adimpleatur. Sicut terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam, & laudem coram vniuersis gentibus. Adhuc, vt scripsit Nazianzenus. [Vigiliæ, preces, lacrymæ, collisa genua, pectoris conuerberationes, suspirium ex imo manans, per nox statio, meneis ad Deum peregrinatio, tenuis inter orandum fletus, audientium animos ad compunctionem incitans, psallentes, Dei gloriam celebrantes, legem Domini die, noctuq; meditantes: & vt scripsit Augustinus, in cõmunem vitam castissimam, sanctissimam congregati, simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus: & vt dixit Eusebius. Quasi quidam cælites reliquorum hominum

minum vitam despiciant: quippe qui pro vniuerso genere supremo omnium Deo sacrati sunt, idq; non bonum mactationibus, non cruore; non libationibus, aut nidore vllo, neq; fumo, aut ignis denotatione, consumptioneq; corporum: sed rectis veræ pietatis sententijs, & purgati animi affectione: ad hæc operibus quoq; ac verbis, quæ à virtute proficiscantur: quibus rebus diuinitatem ipsam placantes, suum, & proseipsis, & pro alijs, qui eiusdem sint generis administrant sacerdotium. Et, quod caput est omnium, & in maximam huius sæculi gloriam cedit, ab altiss. Deo hoc frigescente sæculo destinati sint ex omnium fermè ordinum cœtu viri selectissimi ad insulas, quæ non audierant de illo, adducentes filios de longinquo, & ab extremis terræ: dilatantes tentorium eius, & barbaras nationes cum nouo pænè orbe, Christi suaui iugo iam fermè subiugarint. Illius planè opus, cuius manus abbreuiata non est, Cuius (vt scripsit Greg. lib. 29. mor. c. 16.) solius virtutis est, disiunctis temporibus missos in fidei prædicatione coniungere, & dissimilibus virtutibus præditos fulgore intentionis vnire: & ab ipsa mundi origine vsq; ad eius terminum de præconum iustitiæ successione prouidere: eo tamen ordine, vt nouellæ plantationes è radice sitiente succum hauriant, illamq; vicissim comis vestiant: nam scitur enim vna Religio ex altera, & veterum maxima laus est, quod nouas paturiant, iisq; tanquam filijs thesaurizent: & nouarum maxima pietas, quod senescentes parentes adiuuent, & instaurent: vt nihil adimatur laudi parentibus virtute præditis, si filios paternarum virtutum hæredes commendare contigerit: Gloria enim patris est filius sapiens: Magnumq; sit miraculo quod antiquatæ familiæ, quasi ex morte propria reuiuiscant, fortioresq; resurgant, & tanquam recisum lignum rursus comam faciant, sicut primo plantatæ sunt, vt sic noua, & vetera sponso seruentur producentia fructum, vnaquæq; in genere suo, Veris prius amænitate vestita.

Quare non est, quod istis nebulonibus suffragetur, si obiciant, quod à quibusdam Ecclesiasticis tractatoribus, tum veteribus, tum recentibus claustralis disciplina relaxata deploretur. Nulla enim est, quamuis lassata, & defatigata congregatio, quæ (vt B. Matri Theresæ in eius vita reuelatum est) magno non sit Ecclesiæ adiumento. Bos lassus fortius figit pedem (scripsit Hiero. epi. ad Aug.) Et in illa parte, quam pro exemplo perditionis ponunt Hæretici (dicit Augustinus lib. de Vnit. eccl.) idest in Israel; fuerunt San-



cti Pre-

ti Prophetæ, ibi erat ille memorabilis Elias, vt de aliis taceam? Vnde & se solum Dei seruum existimantem, dum diceret, Relictus sum ego solus: blanda obiurgatione à Domino reprehensum legimus, dicente Domino. Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal. Vt magnum fuerit diuinæ virtutis opus, in idololatra populo atque rebelli multitudinem iustorum reconditam habere, quos nec Propheticus obtutus posset inspicere? Grande certè Religioni pallii beneficium est, sub cuius recogitatu improbi mores vel erubescunt, cuius nullum præiudicium est, si non erubescant impudentes; contra quos cum indignandum est, sic indignemur, vt & illos, & nos homines esse meminerimus. Porrò scribentium Catholicorum intentio à malignantium fine longo interuallo secernitur; illi. n. scribunt, aut loquuntur, vt medeantur; hi obloquuntur, vt criminentur: illi commiserando, hi subsannando: illi aliquot: ni omnes perditos pronunciant: illi instituta laudantes in aliquorum personas inuehuntur, isti viros cum instituto inuolauunt. Aliud est ergo, quod agitur typho calumniæ, aliud quod zelo disciplinæ. Dices interdum in nonnullis tractatoribus est excessus: nam & Petrus Venerabilis l. 4. epist. 8. quendam Antistitem reprehendens, quod è publico suggestu Cluniacenses Monachos sugillasset, ait: [Non ita Episcopus Augustinus vera, vel falsa fratrum mala populo prædicauit, vel in suis scriptis prædicanda mandauit, cum dixit, Vbi oritur peccatum ibi moriatur, ne ad plures eius notitia, quam correctio extendatur.] Transeat. Sed in hoc excessu etiam supereminet charitas: est quidem virga eorum correctio sed quæ consolatur; amor sed non emolliens; zelus, sed non immoderatè sæuiens: pietas, sed non plusquam expediat parcens. Et vt scripsit Gregorius 2. curæ past. c. 10. [Simpliciter ligna Succidimus, cum delinquentium vitia pia intentione resecamus, sed securis manum fugit, cum sese in crepatio plusquam necesse est inasperitatem pertrahit, ferrumque de manubrio prosilit, cum de correptione sermo durior accidit.] Sic Paulum excessisse, dum Pontificem Ananiam reprehenderet acriter putauit Hieronymus 5. cont. Pelag. idemque cum August. (Sigiberto teste) in contentione de legalibus vsque ad simultatem disceptauit, & ab Augustino punctus, cur itidem Augustinum pungat reddit rationem. [Si in defensionem mei aliquid scripsero, in te culpa est, qui prouocasti, non in me, qui respondere compulsus sum.] Non ergo mirandum est de doctissimorum, & virorum pientissimorum excessu, cum in

Ecclesiæ

Ecclesiæ columnis similis obseruetur, quem nihilominus absorbet charitas, quæ operit multitudinem peccatorum. Solum, vt aduertit quoque Gregorius Nazianz. oratione 3. de pace, cauti esse debemus ne Ecclesiæ perduelles nostris malis pascamus. subditque. Parum tutum esse arma hosti committere hominique (Christianæ religionis maximè infesto) verba Christianum lacerantia committere. Nam quod hodie probro obijcimus, idem nobis postero die obijcietur: iactatisque sermonibus hostis arridet, non quod probet, sed quia acerbè, atque amarulentè recondit, vt oblata occasione aduersus eum qui concredidit, virus euomat, atque effundat] etiam incauto vulgo prouidendum est, ne dum horum opuscula legit, sub pietatis specie, detractionis quoque spiritū in se concipiat. Nam & Vespæ suos quoq; fauos faciunt, non mel, sed fel distillantes, quippe qui suauissimos flores libandō dulcedinem in amaritudinem vertunt. Duplex enim malum illi obrepere potest (sua non scriptorum culpa) præiudicium scilicet Religiosorum bonorum, cum omnes tales existimare posset quales aliquos, vel multos reprehensos legit tanquam relaxatos, aut scandalosos: insuper & proprium offendiculum à bono proposito virtutis, quod elegerat recedendo, praua opera perpetrando exemplo alieno, è quibus fontibus iuxta geniorum diuersitatem, diuersitas mordentium, obloquentium, inuidentium oriri potest, vnde tristarentur boni, lætarentur mali, medij cum scrupulo dimitterentur. His orationibus adductus nimirū, vt calumniantium Hæreticorum ora obstruerem, piorum tractatorum excessu (si qui sunt) excusarem, infirmorum, & pusillorum incautè obloquentium offendiculo prouiderem, proximō præterito æstiuo tempore, cum à lectionibus legendis in Vniuersitate nostra Neapolitana vacarem, à multis rogatus præsens opusculum edidi in omnium Religiosorum gratiam, quod volui sub titulo Turturis (Chrysostomum imitatus) prænotare, vt ex vna parte gemitus edendo, ad feruoris in aliquibus remissionem intendendum excitemus, & innouentur dies nostri sicut à principio. Ex alia parte laudes deploratorum decantando, erubescat Hæreticus, pia intentio tractatorum catholicorum excusetur, pusillus instruatur, cum florentissimas inspiciat in hoc libello ad hæc vsq; nostra tempora sacras Religiones, & quod cum semine fundatorum [permanent bona, & hæreditas sancta Nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum, & filij eorum propter illos vsq; in æternum manent, & semen eorum, & gloria eorum non derelinquentur] Sit præsens

ergo opusculum aduersus Ecclesiæ hostes gladius, non enim tam priuata contra inimicum, & vltorem, quam publica debet esse defensio. Sit scutum sustinendo propter religiosos aliquos imperfectos, reprehensionum ex zelo proficiscentium ictus, cum Ecclesiæ enim filijs [Scuto non gladio opus est] Vnde in Turri Dauidica Clypei solum pendent, qui sunt omnis armatura fortium. Sit tandem panarium pro vulneribus medendis, per compassionis affectum, etiã si matres nostras detrahendo flagello linguæ, detractores quidam mali laici percutiant; quando & Hircanus ille Summus Sacerdos Iudæorum (cum Ptolomæo iubente ab armata militum copia ad Aristi inuasionem accincta, matres, & fratres loris cædi cerneret) non manum ad vindictam, sed solum cor ad miserationem armauit. Et quoniam scitè pronunciauit Ambrosius [Vnumquemq; fallunt sua scripta, & aurem prætereunt, atq; vt filij etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecorum sermones sui palpant] propterea sapientium, & doctorum iudicio examinandum, probandumq; offero, vt si quando incautius aliquid promitur, aliquid exit ambiguum; corrigat, interpetretur, ignoscat, legentis sapientia, & charitas. Religiosos vero vniuersos idem opusculum, vt gratanter legant obtestor, nedum in signum animi mei erga omnes Sanctos, & Beatos fundatores deuinctissimi, sed etiam quia in eo, tanquam in breui tabella exhibeo etiam præsentium temporum gloriosos Martyrum agones, Confessorum victorias, florentissimam vndequacunq; eorum gloriam ad maiorem Dei gloriam.

*Fr. Dominicus Grauina.*

# Approbatio Operis.

Turturis vocem ne dum audiui, sed (quod mirum est) legi quàm libentissimè. Digna est, quę publici iuris fiat, vt surgant, properent, & veniant, quos vocat Sponsus, & gaudeant quos vocauit, quia ver est. Nil turpe, aut inconcinnum in hac voce, imo quod rarum in trunco licet crucis, haud gemit, sed canit Turtur; nimirum arbos olim arida præcellit sylua-rum laudes.

Fronde, flore, germine,

Audiant ergo, & legant hilariter Sponsi sodales. Ita voueo. In S. Thom. super Mineruam. Romæ prid. Kal. Octob. 1624.

*Fr. Nicolaus Riccardus S. T. M. & Collegii Thomæ Regens.*

Ego Fr. Io. Matthæus Rispolis S. T. P. Regens. Collegij S. Sixti de Vrbe. ex commissione Reuerendiss. P. N. Gener. librum inscriptum. Vox Turturis, vidi, & vt in propugnationum Sacri Religiosorum status in lucem prodeat, dignum censui. Nil enim in eo legitur, quod emuncto, & erudito calamo modestiam auctoris, & zelum fidei non redoleat. In quorum fidem manu propria subscripsi. Dat. Romæ 28. Septemb. 1624.

*Fr. Ioannes Matthæus Rispol.*

*Licentia Reuerendiss. P. Generalis M. Ord. Præd.*

Visis attestationibus RR. PP. Mag. Nicolai Riccardi, & M. Matthæi Rispolis, damus quantum ad nos attinet licentiam typis mandandi librum hunc. Romæ die 28. Septembris 1624.

*Fr. Seraphinus Magister Ordinis.*

*Appro-*

*Approbatio Illustr. & Ad. RR. Deput. Curiæ Archiep. Neap.*

Opus hoc suo dignum auctore, & ad Religiosorum solatium & ad compescenda item ora in easdem obs murmurantium quamprimum prælo dandum.

*P. Andreas Lanfrancus Cler. Regul Deput.*

Turturis vocem à peritissimo viro artificiosè formã tam percepi, eamque vt ab alijs audiatur, censeo publicè proponi debere.

*Alexander Russus Canonicus Deput.*

*Imprimatur.*

Lælius Tast. Vic. Gen.

ADM.

## ADM. R.P.D. HIERONYMI STELLÆ
### Clerici Regularis.

*Epigramma.*

EN ferit innouæ cunctas Vox Turturis aures
Vna multa tamen guttura voce sonant;
Florentes signa campos florere papyrum
Nunciat ipsa tuam, dum gemebunda canit;
Gratius altisona, nunquam sic fama dedisset
Quales fusa tibi vox canit ipsa notas.
Nec magis occinuit dulcis vox lapsa per auras,
Vt tua concelebrat Relligionis opes?
Stat tua vox cunctis, non cunctæ sunt satis ipsi,
Vincit vox omnes, scilicet vna sonos.
Funde igitur vocem, nam sic quoque vocibus atra
Non erit inuidiæ docte Grauina locus.

## P. FR. ANTONINI FAVREAV.
### Gall. Ordinis Prædicatorum.
### De Turture carmen.
#### Ad Autorem.

ECce columbinis glaciata in fletibus aruâ
Sunt; Turtur, Zephyris iam resoluta tuis.
Quæque piè madido pallebant germina planctu,
Nunc rident placido Sole oriente tuo.
Pergito casta pios Turtur depromere cantus:
His etenim Zephyris nostra refloret humus.
Lustralem pergas oculum versare per orbem:
Hoc etenim est nobis Sole renata dies.
Aucta dies, nobis, casta de turture, factum
Sol, inter flores sydera facta, micas.

IN.

# INDEX CAPITVM
## Huius Libri.
### Primæ Partis.

A

Caput 1. Gementis columbæ ratio proponitur. fol. 1.

Cap. 2. Turtur deploratorum cœtum repræsentans, columbæ charitatis arctissimo vinculo colligata, gemendo pariter tepidorum fatetur infirmitatem, & spiritualis veris Religiosi status amœnitatem enunciat. fol. 4.

B

Cap. 3. Eiusdem Turturis gementis singultus primò expenditur. fol. 6.

C

Cap. 4. Assignatur prima causa tepiditatis infirmorũ, & si paucorum Religiosorum, ex mutatione, & rerum inconstantia, humanæ naturæ conditione, & similibus euentibus. fol. 12.

D

Cap. 5. Ex vetustate, & antiquitate Religionum in nonnullis tepidis decoloratio processit, quam Monarchiæ quoque passæ sunt. fol. 5.

E

Cap. 6. Prodigij loco habendum, quod vetustæ Religiones alacriter currant, non secus ac iuuenculæ in euangelicæ prędicationis stadio, vt apparet in Indorum Orientalium, & Occidentalium cõuersione. Et quomodo non in se, sed in Domino Euangelij Prædicatores debent gloriari. fol. 20.

F

Cap. 7. Ex doctrina S. Bonauenturæ aliæ causæ assignantur

gnantur tepiditatis aliquorum imperfectorum Rlei, gioſorum, quæ cautionis, timoris, & humilitatis fructus ſubminiſtrant, ne ſuperbi incidant in foueam perditionis.

G

Cap. 8 Perſecutione quoq; Gentilum, & Hæreticorum, & alijs calamitatibus, quibus ne dum illuſtres perſonæ trucidatæ ſunt, ſed & Cœnobia ſolo æquata, decolorationem non minimã ſe paſſum eſſe Turtur demonſtrat.

H

Cap. 9. Maiorem decolorationem rurſus ſe paſſam eſſe turtur uſtendit à contradictione linguarum hæreticorum, perſonas cum ſtatu religioſu ex afflantium. Et (quod valde dolendum eſt) domeſticorum aliquorum, filiorum eccleſiæ qui ob vnius vel alterius lapſum, in totam religioſam familiam linguam armarunt.

I

Cap. 10 Quod videns malos in religioſis clauſtris, & tacentes de bonis balaac imitantur, qui ad maledicendum populo Dei Balaam incitabat, partem Iſraelis, non totam multitudinem oſtendendo.

K

Cap. 11. Quomodo in Catharis, Manichæis, & alijs hæreticis viguit ſingularitatis morbus, vt ſe ſolos mundos, & ſapientes iactarent, totam eccleſiam de immunditia & ignorantia taxando. Et quomodo olim tentationem, qua aliqui religioſi puſabantur, ad offerendum ſe ſupra alios ordines S. Bernardus effugarit.

L

Cap. 12. A puſillis vel detractoribus quibuſdam malis laicis depellit Turtur obiecta ſcandala cum ſpiritu ali admonitione ad ſuperbiæ, & elationis ſpiritum effugandum.

C. 13.

M

Cap. 13. Triplex ex S. Petro Chrysologo genus scandali distinguitur, & primi, & secundi generis scandala recensentur à quibus ex Dei gratia Turtur se fatetur in munem.

N

Cap. 14. Tertium verò genus scandali, in quod etiam sancti viri offendunt, admittitur, & traducentes religiosorum familias perstringuntur.

O

Cap. 15. Multiplicatio palearum tritico immixta in area Religionis, sanctorum virorum dignitatem, & famam nullo pacto imminuit, cum adhuc non discussionis tempus, & patientia, & modestia turturis ostenditur linguas dettahensium sustinentis, & easdem modestè depellentis.

P

Cap. 16. Cum communes sint culpæ, sine quibus non transigitur humana mortalitas, non debet fieri distinctio deplorantium quando sanctis etiam ne dum humiliter, sed & veraciter dicere competat, dimitte nobis debita nostra. Propterea non debet vnus ita aduersùm alterum inflari, vt se mediatorem pro illo constituat.

Q

## SECVNDÆ PARTIS.

R

Cap. 1. Turturis cantus amœnitatem religionum SS. Benedicti, Dominici, Francisci, &c. enuncians audiendus proponitur.

S

Cap. 2. De florenti vinea priscorum Monachorum in Aegypto plantata à Magno illo Antonio.

Cap. 3.

Cap. 3. De vinea S. Basilij, qui monasticam vitam in meliorem formam redegit.

T

Cap. 4. De duplici vinea manu S. Aug. plantata Monach. videlicet & Clericorum Regularium.

V

Cap. 5. De illustri Vinea, quam S. Benedictus in Occidentis partibus plantauit.

X

Cap. 6. Vinea Camalduensium recensetur.

Y

Cap. 7. De vinea Cluniacensium disseritur.

Z

Cap. 8. Cartheusiensium vinea visenda exponitur.

Aa

Cap. 9. De plantatione vineæ Cisterciensium agitur.

Bb

Cap. 10. Vinea Præmonstratensium effertur.

Cc

Cap. 11. De alijs vineis S. Guilielmi, S. Trinitatis, &c. honorifica mentio.

Dd

Cap. 12. De vineis ordinum Mendicantium. Et primo, de Religionis vinea S. Dominici Patriarchæ Prædicatorum.

Ee

Cap. 13. De vinea Seraphici Patris S. Francisci.

Ff

Cap. 14. De vinea Eremitarum S. Augustini.

Cap. 15. De vinea Carmelitarum.

Gg

Cap. 16. De alijs vineis Mandicantium, Seruorum, S. Mariæ da Mercede, S. Francisci de Paula.

Hh
Cap. 17. De nouissimis vineis Clericorum Regularium (qui & Theatini dicuntur) & Patrum Societatis IESV priuilegia Mendicantium ordinum participantium.
Ii
Cap. 18. Quomodo Vineę aliquot florentes, ob belorum incursus pestilentiam, alicubi, & in aliquibus iacturam passæ sint.
Kk
Cap. 19. Quomodo mirabiliter hyemis persecutione Cessante reflorunt, & ad huc ex Dei gratia florent sacri ordines, & ostenditur in priscis illis Vineis Antonij, Basilij, Augustini fundatoris vtriusq; vineæ Canonicorum & Eremitarum.
Ll
Cap. 20. Quam floreat nostris temporibus vinea S. Benedicti à columba deplorata, & quos fructus asserat luculenter monstratur.
Mm
Cap. 21. Idem demonstratur de Camalduensibus.
Nn
Cap. 22. Flores, & fructus Carthusiensium hoc quoq; tempore recensentur.
Oo
Cap. 23. De floribus, & fructibus nuperis vineæ S. Dominici (à columba deploratæ) noua, & vetera sponso seruantis.
Pp
Cap. 24. De florida etiam, & fructifera Vinea nostri tēporis S. Francisci, columbæ deplorata gemitibus.
Qq
Cap. 25. De florida, & fructifera vinea temporum nostrorum ordinis Eremit. S. Augustini.

Rr
Cap. 26. De Carmelitarum vinea nunc etiam flores, & fructus parturiente.
Ss
Cap. 27. De vinea florida, & frugifera Religionis de Mercede seu Redemptionis captiuorum, & Seruorum B. V. M.
Tt
Cap. 28. De florenti, & fructificante vinea Patrum Minimorum S. Francisci de Paula.
Vu
Cap. 29. De florenti, & fructificante vinea Patrum Clericorum, Regularium, Theatinorum.
Xx
Cap. 30. De nouissimis operarijs vineæ Ecclesiæ Catholicę, Patribus Societatis IEsv, & vberrimis fructibus per eos reportatis.
Yy
Cap. 31. Quod flores, & fructus deplortarum vinearum omnia scandala, quæ obijci possunt, absumunt, & maior sit numerus obseruantium regulas, quàm impudentium transgressorum.
Zz
Cap. 32. De peculiari Dei prouidentia erga religiones, præsertim SS. Benedicti, Dominici, Francisci, &c. & de amicabili collocutione Turturis, vt inuicem sint colligatæ seruantes vnitatem spiritus in vinculo pacis.
Aaa
Cap. 33. Pro eadem seruanda charitate & pace, epistola Parænætica Generalium SS. Dominici, & Francisci proponitur.

FINIS.

# VOX TVRTVRIS, SEV DE FLORENTI vsq; ad hæc nostra tempora.

## SS. BENEDICTI, DOMINICI, Franciſci, & aliarum Sacrarum Religionum, ſtatu.

## PARS PRIMA.

### CAP. I. Gementis Columbæ ratio proponitur.



ISRAELITICÆ Gentis calamitates moleſtè ferens Hieremias (vt verbis Sancti Gregorij Nazianzeni vtar) *fontem lacrymarum requirit, atque extremum quendam receſſum exoptat, ſolitudinem; que complectitur, quo libere, nulloque obturbante Iſraelem deſleat, ſicque magnam ſui mœroris partem exhaurtat, vt vulneris in pectore hærentis dolore quodammodo leuetur.* Nazianz. Orat. ad ciues.

*Consimilem in modum Dauid multis ante Hieremiam annis, calamitates suas acerbe ferens. Quis,* inquit, *mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Horum vestigia secuta insignis quædam Columba (cuius pennæ deargentatæ ob sapientiæ claritatem, & posteriora dorsi eius in pallore auri ex rutilanti claritatis fulgore, satis orbi innotescunt) in solito suo recessu se, & suos ad pias lacrymas excitans, materiam gemitus columbini assumit, in sexto lacrymarum fonte, considerationem Ordinum Religiosorum sic, post multa Sacrorum Ordinum encomia, ex Patribus desumpta, plorare incipiens. Quæ autem SS. PP. Nazianz. Chrysost. Hieron. & August. de Monachis sui temporis dicunt, possumus etiam nos dicere de primordijs omnium Ordinum Religiosorum. Nam & Sancti Benedicti, Dominici, & Francisci, & omnium aliorum Sanctorum, qui Religiosos Ordines instituerunt, Filij, & Nepotes, per multos annos, ita sanctè, piè, perfectèque vixerunt, vt vel omnes, vel eorum pars maxima insigni sanctitate floruerint. Postea tamen multiplicari cæperunt Regulares sine numero, & multi non à Deo vocati ad statum perfectionis, sed alijs rationibus adducti Monasteria repleuerunt, & impletum est illud Isaiæ. Multiplicasti genrem non magnificasti lætitiam. Inde nata sunt scandala grauia, & multiplicia omnibus nota, quæ materiam vberem præbent Columbæ gemendi, & plangendi relaxationem, ne dicam corruptionem Or-

Lib. 2. de gemitu columbæ c. 6.

nem Ordinum Religiosorum, &c. Et in fine si concludit. Ex quibus omnibus colligitur, agendas esse gratias DEO, cum ingenti lætitia, pro tot Sanctis hominibus, quos Ordines Religiosi Ecclesiæ Catholicæ pepererunt, & in dies pariunt; & simul etiam fundendas lacrymas copiosas pro deformatione, quæ passa est tàm illustris portio Gregis Christi, & simul orandum assiduè DEVM, vt conuertat corda Patrum in filios, & relaxatos, filios ad prudentiam spiritualem, & feruorem cordis Patrum iustorum. Suæ autem Matri, quæ ipsum aluit, & educauit, spirituales istos fœtus dedicando (quam etiam secum ad plangendum assumit) rationem reddit. *Quia*, ait, ipsa societas, vt membrum viuum, & verum gementis Ecclesiæ, non solum gemere non cessat, sed etiam Columbæ velocitatem imitata, ab ipso suo exordio, ad extremas vsque Mundi partes volare non dubitauit; & Columbæ fœcunditatem Diuino munere nacta, breui sic excreuit in gentem magnam, vt Prouincias Orbis Terræ penè omnes complexa esse videatur, ac denique more Columbino iram sine felle in corde, & in lingua ferens, & irascitur vitijs, & bellum cum erroribus gerit. Hucusque gemitus Columbæ, deploratorum, & plangentium distinctionem apertissimæ tradens. Sed ne infirmi ex his verbis occasionem detrahendi Sacris Ordinibus sumãt, aut hæretici maiorem ansam debacchãdi accipiant, maximè cum protoparens ipso-

In art. damatis, ait, vlt,

rum Lutherus in quodam articulo damnato pronunciarit [præstare omnes saccos mendicitatis delendos] neuè etiam aliqui ex plãgentibus vanæ gloriæ tentatione pulsentur ad efferendum se super alios ordines, his malis obuiandum est, non meis dictis, sed Scripturæ sacræ, & Sanctorum documentis: & zelus gementis Columbæ quoad fieri potest excusandus, & exponendus.

## CAPVT II.

### Turtur deploratorum cœtum repræsentans, Columbæ charitatis arctissimo vinculo colligata, gemendo pariter tepidorum fatetur infirmitatem, & Spiritalis veris Religiosi status, amœnitatem enunciat.

A COLVMBINO gemitu vniuersus deploratorum cœtus excitatus, instar Turturis, dum præsentium temporum statum, conditionemque miratur, reciprocos edit

cos edit gemitus, & dum cœlestium charismatum affluentiam, quibus adhuc in senecta vberi diuina repletur gratia considerat, spiritualis veris amænitatem canendo significat; vt si inde gemat Columba, quod vineam Domini fere exterminarit aper de sylua, & singularis ferus depastus sit eam; hinc quia Vox Turturis audita est in terra nostra, occinatur. *Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.* illud diuinæ pietatis erga turturem argumentum amplificans, quod in granis in botro relictis ex vindemia calamitatum hostilium, dissipatio diuina voce prohibeatur; *quia Domini benedictio est;* nec vindomiata vinea à furore inimico, inferior sit nouis vineis Engaddi. Et quamuis Religiosorũ Familiæ tanquam Turtures viduatæ maritis (Sanctis vz. illis, qui eas fundarunt) viduitatem, & sterilitatem passæ plangantur; nihilominus in amore coniugum perseuerantes, tanquam eremi incolæ conuallia penetrantes, solis ardores, aeris inclementiam, persequentium insidias sustinentes, primæuam institutionem adhuc retinentes, in præruptis rupium cubile fundantes, sine timore suos volare prouocant pullos. Nec desertas se pu-

Cant. 2.

Isa. 65.

Ex Chrisost. hom. 5 de Turture tom. 5.

se putant, quia non vident Basilium, Augustinum, Benedictum, Bernardum, Romualdum, Brunonem, Dominicum, Franciscũ, illos inquam per quos fundatæ sunt, quia eis merito dici potest. *De plore tua tibi creuit paternitas*, pro Patribus enim tuis nati sunt tibi filij: vt in oculis Dei fortasse multo plures esse possint filij eius, quæ vocatur sterilis, & deserta, quàm eius, quæ vt fœcunda celebratur, & ex Monachorum multitudine, *Non nullos, idest pauciſsimos pie victuros, & ſaluandos, plurimos autem neglecturos, & ſalutem perdituros*, deplorat. Et vt ordinatè procedamus; Primo singultum Turturis, mox exultationes in gutture eius attendamus.

Aug. in Psal. 44.

## CAPVT III.

## Eiusdem Turturis gementis singultus primo expenditur.

PRIMO ergo singultus Turturis occurrit, conditionem naturæ lapsæ, & si per gratiam in ſtauratæ (ne inueniatur inimica gratiæ sub laude naturæ) deplorans, & depulchritudine ex dono Dei, casto timore exultans

xultans, siue admirantibus, siue insultantibus, aut illam non secus, ac Æthiopissam, Moysi vxorem traducentibus, vel æmulantibus; aut etiam aliquibus imperfectis se super alios efferentibus, blandè, & dulciter alloquitur: & non tam humili, quàm veraci confessione vocem illam in Canticis Canticorum descriptam, assummit, dicens: *Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem, quasi tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Nigra sum per culpam (iustus enim in principio est accusator sui) formosa per gratiam. *Nigra puluere sæculari, quem certando collegi; decora oculo spirituali, quo mundi huius puluerem, squaloremque detersi. Nigra per lapsum, decora quia dilexit me sol, & prior facta sum congregatio Dei.* Nigra in quantum tenebras mortalitatis porto, nigredine corruptionis inficior. Formosa dum Sanctos, qui ad imitationem Christi se mortificant, imitari non negligo. Non prius quod spirituale, sed quod animale, atque mortale intuendum exhibeo: quæ etiam si pauonis instar clara ceruice pennisque in orbem concinantis, atque oculis aureo quodam, gemmantique fulgore in aceruum contractis, faustuoso incessu, me velut in theatro ostentandam, & spectandam proponerem, tamen pedes intuendo, infirmos

Cant. 1. Ex Chrys. sup.

Ex Ambr. in Ps. 118. ser. 2.

Ex D. Gr. in Cant.

Thr. 4.

Hom. de sancto, & adorando spiritu. Daniel, 3.

scilicet fratres, illud adaptare necesse est. *Sordes eius in pedibus eius*, & cum Sanctis pueruli, qui (ex Chrysostom.) *vt iusti flammam calcauerunt, vt humiles autem peccatores se vocauerunt, dicere cogor. Peccauimus, inique egimus recedentes á te, & nunc non possumus aperire os, confusio, & opprobrium facti sumus seruis tuis, & his qui colunt te.* Exterius ventis, pluuijs, spiritibus procellarum variarum tentationum, tabernaculorum Cedarenorum more exposita, deformitatem contraxisse videor: sed qui extendit cœlum sicut pellem, pellibus Salomonis, aulæis, seu tapetis picturatis, seu tentorijs byssо, & & purpura, auro, serico versicoloriter contextis, assimilauit me: tot enim Sanctorum, ac Beatorum splendoribus illustror, ab eo qui amictus est lumine sicut vestimento, vt his tanquam ornamento vestiar, & in vestitu deaurato procedam, circumamicta varietate: multòque magis omnis gloria ab intus refulgeat, non foris, hoc est, ex Bernardo, *non in flore fœni, aut in ore vulgi:* sed in Domino. Nigra ergo vestro, formosa Diuino, Angelicoque iudicio, & si nigra sum, forinsecus sum: mihi autem pro minimo est, vt ab hominibus iudicer, aut qui secundum faciem

Serm. 25. in Cant.

iudicant

iudicãt; nam & de operibus idem Bernardus. *Sæpe incerta, & ob hoc periculosa sententia fertur cum multoties minus iustitiæ habeant, qui magis operantur.* Sunt autem fateor nonnulli, in omnibus, ne dum in oculis Dei, sed in oculis hominum, quorum facies denigrata est super carbones; sed *Audi*, ait Bernardus, quid per Prophetam Deus promittat, istius modi nigris, quos aut humilitas pœnitentiæ, aut charitatis zelus, tanquam solis æstus decoloraſſe videtur. Si fuerint, ait, peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur &c. Veruntamen propter auersos, & nondum conuersos, non dico fusca fui, vt tabernacula Cedar, & speciosa sum, vt pelles Salomonis, sed vtrunque esse dico, propter vnitatem intra vna retia piscium bonorum, & malorum; tabernacula enim Cedar ad Ismaelem pertinent, qui non erit hæres cum filio liberæ. Non est præsentis vitæ omni vitio, seu nigredine, & deformitate carere; cum ne quis sibi, quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur, & docetur se peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare. Alterius vitæ status est, cum erit gloriosa Ecclesia non habens maculam, neque rugam; quæ peregrinans in terris, & militans, impios, & scandalosos portat. Quærere ergo velle in quacunque congregatione, quæ sub cœlo est; speciem sine næuo, aream sine paleis, triticum absq;

Apolog. ad Guiliel. Abbat.

Serm. in Cant. sup.

Aug. 3. de doct. christiana c. 32.

Cyprian. apud Auguſt. de bono perſeu. cap. 5.

lolijs, nodum in scirpo quærere est. Si autem is, cui tribuitur officiū plangendi, tanquam verum, & viuum membrum in Ecclesiæ celebrari audit, meminerit, vt non in se, sed in Domino glorietur, & sit quoque in ista sancta gloriatione discretio, vt non ad ōnes, & singulos Professores suos hoc dictum extendatur, ac si omnes, & singuli essent vera, & viua membra, sed ad eos solos, qui apud oculos sponsi vera, & viua charitate informātur tale dictū pertineat, qui & infirmos quoque portāt, & plangunt. Facta autem omnium causa communi, vt in omni congregatione sint deplorantes, & deplorati, vniformis, atque communis sit omnium deploratorum gemitus. *Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem.* Quod si plures in Turture habeat quos plangat Columba, saltem (vt scribit Aponius) populos, & pusillos, & factiosos, qui ex huiusmodi gemitu obloquendi materiam accipiunt in compitis, in theatris, in Academijs, propter paucorum imperfectionem, in vniuersum omnes Religiosos tales existimantes instruat, his comparationibus sponsæ, [Nullam personam execrari, quam maxime, qui præest populo Christiano, etiā si minus splen-

Lib. 1. cōmentar. in Cant.

dear

deat cõuerſatio eius in ſanctis operibus, ſed propter præcelſum ordinem venerandum, quia non ad eum reſpicit honor, ſed ad Sancta Sanctorum Martyria, quæ intrinſecus cõtingere ordo Sacerdotalis cognoſcit. Arca enim teſtamenti, quæ typum Corporis Chriſti gerebat, cui fluenta Iordanis, cui muri Hiericho, cui Allophylorũ ferocitas ceſsiſe legitur, viliſsimis pellibus erat contexta, & viliſſima ſunt papyro contexta tabernacula Cedar, ſed magni deſtirpe Patriarchæ. Abraham enim generauit Iſmaelem de Agar, & Iſmael inter cæteros genuit Cedar] Et ſubdit Aponius eodem loco [ Filiæ Hieruſalem non vileſcat vobis extrinſecus minus, & pulcher aſpectus, qui tabernaculis Cedar, & pellibus Salomonis aſsimilatur; quia licet vilia ſint, magni tamen Patriarchæ( Benedicti, ſeu Dominici, ſeu Fraciſci) contegunt prolem, cui benedixit Deus in auo, in quo benedictæ ſũt oẽs nationes terrę] Quod ſi populi ſupradicti factioſi inſtrui non patiuntur à gemente Columba; ſaltem iſtas animas æmulas, laceſſentes, quæ de numero adoleſcentularum eſſe videntur, & non ſunt, deplorati turturis mitis vox commoueat. Studens enim eſſe pa-

cifica, ſciens pariter omnibus ſe eſſe debitricem, non maledictum illis pro maledicto reddidit murmurantibus, aut obloquentibus ſed benedixit potius fauorabili demulcēs vocabulo, Filias Hieruſalem appellando, quia curæ eſt etiam Turturi, & ſi languenti, *infirmorum potius operam dare ſaluti, quam propriæ vltioni, parando aduerſus phrenetim animæ, non vindictam, ſed medicinam,* Vnde & eaſdem ab admiratione nigredinis, & ſcandalorum repellendo, & inſtruendo pariter conturbernales, & factioſos, & huiuſmodi homines, aut ægre ferentes, ſeu æmulantes fortè, quod prior in cællam vinariam delitiarum ſponſi fuerim admiſſa, vel paritatem, vel ſuperioritatē, in ea parte quam diligunt affectantes, ac proinde ob id nigredinem obijcientes, non tam hortor, vt ad nigredinem, ſed etiam ad venuſtatem, oculos dirigant, & deformitatis pariter rationes attendant.

Ex Bern. ſer. 25. in Cant.

## CAPVT IV.

### Aſſignatur prima cauſa tepiditatis infirmorum quamuis paucorum Religioſorum, ex mutatione, & rerum incon-

inconstantia, humanæ naturæ conditione, & similibus euentibus.

NOLITE ergo *me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me sol*, cuncta n. quæ sub sole fiunt, solisq; circuitionibus sunt subiecta, mutationi, varietati, inconstantiæ sunt obnoxia: *res.* n. humanæ, velut orbe quodam voluuntur fratres, ait Nazian. & infra; nihil motus expers est, nihil planum, & æquabile, & in finem vsq; sibi constans. Non læti, & tranquilli animi affectio, non ægritudo, non opes, non egestas, non vires, non infirmitas, non humilis, ac dejectæ vitæ conditio, non principatus, non præsens, non futurus rerum status, non nostra, non aliena, non parua, non magna, nec denique, quidquid dicere quisque possit, atque æquale hoc vnum habet ipsa inæqualitas, quod in omnibus rebus huiusmodi vicissitudo reperitur omnia quippe facili quodam circuitu feruntur, atque recedunt, sibiq; inuicem aduersantur, vt ventis tutius, aut lineis in aquis descriptis, fides haberi posse videatur, quam hominum felicitati. Nazianz. orat. ad ciues.

Nec species sua cuique manet rerumque nouatrix.
Ex alijs alias reparat natura figuras.
dixit ille. Ouid. 15. Metam.

Et in operibus Iustitiæ [ nec in eodem statu mens hominis potest iugiter permanere, nec Cassianus collat. 6. cap. 14.

in hac carne consistens, ita virtutum apicem possidebit quisquis ille Sanctorum, vt immobilis perseueret: necesse est enim, aut aliquid adijci illis semper, aut minui, nullaque in omni creatura talis poterit esse perfectio, quæ mutabilitatis non subijaceat passioni, secundũ illud quod in libro B. Iob legitur. Quid est homo vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere, ecce inter Sanctos eius nemo immutabilis, & Cœli non sunt mundi in conspectu eius. Solum namq; Deum immutabilem confitemur ] Quod si illi Cælestes spiritus esse ex se incommutabiles nequeunt, qui nulla carnis infirmitate deprimuntur, qua temeritate, ait

S Greg. li. 5. Moral. cap. 29. Gregorius, se homines in bono permanere constanter existimant, quos in eo quod intellectus ad summa euehit, carnalis infirmitas aggrauans præpedit, vt per corruptionis vitium in semetipsis habeant, vbi ab intima nouitate veterascant? Quid dicit Iob? Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem, quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum consumentur velut à tinea? Si tineas vides, nempe peccata, & scandala, vestimentum considera vnde exoriuntur. Quasi enim quadam sua tinea vestis nostra cõsumitur; cũ caro corruptibilis tentationẽ gignit & per hanc ad iteritum peruenit. Conditio

Cap. 4.

Greg. Ibid

ergo

ergo mutabilitatis humanæ cordatos viros admonere debet, non oportere migrari super asserta scandala, siue quia sunt, siue quia pusillorum corda conturbant; nam si sunt, futura esse prædicta sunt, & ex veteris, & exterioris hominis corruptione, qui de die in diem corrumpitur, materia subministratur, vt sint: quorũ euentu si pusilli offendantur non expauendum, ad hoc enim sunt; ad probationem, & exercitationem piorũ, & vt frumenta dominica solida charitate põderosa, à leuissimis paleis aduenięte ventilatione dignoscãtur. Sicut ergo permissionẽ ex parte Dei, causalitatẽ, ex parte hominis habẽt vt sint, sic finẽ quoq; sortita sunt ob quẽ sint, ne esse non possint, quia & *Dominus noster nostrorum Ducum contra scandala exuscitauit, & armauit exemplas dicens, Inè possibile est vt non veniant scandala.* Chryſol. Serm. 27. Sicut autem nullus mirari debet de morbo, vel morte, quia est, vel quod hominem interimit, ad id enim est: sic non expauendum, quod scandala oriantur, & pusillis sint offendiculo, cum oporteat ea esse, quæ dum sunt hoc possunt, & solum vigilandum est ne possint, & tanquam muscipulas à pedibus insipientium remouenda, nam hoc ipso, quod scandala

dala in religionibus esse proponeremus, scãdali materiam assumerent pusilli, quæ tollitur prorsus dum reticentur, atque eadem tãquam monstruosi partus ab hominum ablegantur aspectu.

## CAPVT V.

### Ex vetustate, & antiquitate Religionum in tepidis decoloratio processit, quam Monarchiæ quoq; passæ sũt.

IPSÆ quoque multiplices cœli, solisque conuersiones, quibus hominum mætimur ætates, sicut senectutem tandem in humano corpore causant, & cum senectute morbos, & interitum, sic in omni Reipublicæ corpore varij status, atq; vicissitudines inspiciũtur, dum Regna Regnis succedũt, omnibus tandem sicut aquæ bullis euanescẽtibus. Mirũ ergo esse non debet (si non in eodem statu permanendo) decolorauit me sol. Aspice quæso, dicam cum Philone, quanta fante Macedonum Imperium, inclyta fuerit Persarum felicitas sed vna dies tam ingenti Regno finem attulit. Fuit Ægyptiorum perampla, & magnifi-

Lib. quod Deus sit immutabilis.

capo-

ca potentia, sed nubis in modum eius felicitas perijt. Quid Æthiopes? Quid Carthago? Quid Africa? Quid Pontici Reges? Quid Europa, Asiaque? & vt compendio dicam totus orbis habitabilis? Nonne more nauis susque deque iactatæ marinis fluctibus, nunc aduersis ventis, nunc secundis vtitur? Nam Verbum diuinum choreas in orbe ducit, & omnes gentes circumlustrando, nunc his, nunc illis imperia vel tribuit, vel adimit. Nihil igitur est in humanis rebus præter vmbram, auramque leuissimam, sine mora præteruolantem, eunt enim vltrò, citròque tanquã æstuaria.] Nonne temporis rabie, quæ Osee 13. omnia absumit, *Transfire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ?* Vnde (vt cõmentatur Hieronymus) sicut spuma quæ super aquam est, cito dissoluitur; sic regnum decem tribuum velociter finitum est. Eadem, temporis vetustas Monarchias Monarchijs adiunxit, in argentum auro, in ferrum argento, in æs ferro, extremis in lutum declinantibus. eadem Troianos cantare coegit.

Nos fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens Virg. 2. Æn.
Gloria Dardanidum,] & ille.
Quid numerem euersas vrbes, regnumq; ruinas, Manil. lib. 4. Astronom.

In Rogo Cræsum, Priamumque in littore truncum?
Cui nunc Troia rogus?

5. de Ciui. Dei. c. 21. Sed, vt dicebat August. Multum est ad nos, & valde superat vires nostras hominum occulta discutere, & liquido examine merita diiudicare regnorum. Ille igitur vnus verus Deus, qui nec iudicio, nec adiutorio deserit genus humanum, quando voluit, & quantum voluit Romanis regnum dedit, qui dedit Assyrijs, vel etiam Persis &c. ille idem, qui Mario, ipse Cæsari: qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasianis, vel patri, vel filio suauissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo. & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Iuliano. Præcipue autem Imperium Romanum, longe, lateque diffusum legimus, quia, vt dicit Aug. Omnibus artibus tanquam vera via, nisi sunt ad honores. imperium, gloriam; honorati sunt in omnibus fere gentibus; Imperij sui leges imposuerunt multis gentibus; hodieq; literis & historia gloriosi sunt pene in omnibus gentibus. Quare non est quod de summi. & veri Dei iustitia conquerantur, perceperunt mercedem suam non eam, quæ Sanctorum copiosa est in cœlis, & apud Deum habet gloriam, quæ in voce, & fama posita est, ad hoc enim anhælabant, vt etiam post mortem viuerent in ore laudantium, nec est in terris perfecta eorum merces, nam fama permanente

Lib. 5. de Ciui. c. 15.

manente, ipsa Romana Respublica in ipsa sua felicitate corruit, quam industria humana illibatam seruare satagebat. Ipsa vero Ecclesia Catholica Christi Domini regnum, quod omnes Monarchias longè latèque exuperat (cuius non erit finis) suas habuit ætates, & nunc in senium declinans experitur sanguinis frigiditatem in dilatatione tentorij sui, vnde illud completur. *& quoniam abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum.* Quid mirum si decolorauit me sol? an maior pars toto? An dignior vna aula palatio? Quid si hoc ipsum patiantur tot membra Ecclesiæ præcipua, Sãctorum videlicet diuersi ordines, cum in suo vastissimo corpore, hæc & maiora propter malos patiatur Ecclesia? Nihil mirandum quod tam breui tempore sodales sponsi non asserantur offuscati, cum non nisi octuaginta circũuolutiones solares aspexerint. Debilitatem illam membrorum, tam sancta sodalitas, non adhuc potuit experiri, quæ adhuc in adolescentiæ flore subcrescit. Sed si senectam exoptat, & vsque ad senectam, & senium perduci, similes, aut fortasse maiores pati posset ærumnas. Quod si nouam adhuc inauditam, priuilegiatam, Ecclesiæ inconcessam prætenMatth 24.

dit ætatem, vt in nullo ſuorum caliget oculus, eius membra non vacillent, ingrediaturq; in abundantia ſepulcrum, ſicut infertur aceruus tritici in tempore ſuo, & in nidulo ſuo moriatur, & tanquam Phœnix dies multiplicet; iam vt ſcribit Lactantius de Phœnice.

Conuenit Ægyptus tanti ad miracula viſus.
Et raram volucrem turba ſalutat ouans.
Protinus inſculpunt ſacrato in Marmore formam.
Et ſignant titulo remque, diemque nouo.

Quam tamen exiſtimationem non putandum eſt hos Dei famulos habere qui cum Pſalmiſta canunt. *Non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neq; ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus ſuper me.*

Pſal. 130.

## CAPVT VI.

Prodigii loco habendum, quod vetuſtæ Religiones alacriter currant, non ſecus ac iuuenculæ in Euangelicæ prædicationis ſtadio, vt apparet in nouiſsima Indorum conuerſione, & quod non in ſe, ſed in Domino Euangelij Prædicatores gloriari debent.

IMITA-

IMITATVR certe animarum religio corporum rationem, quod ſicut parua ſunt lactẽtium membra, robuſtiora iuuenum, debiliora ſenum, ſic & in ſpirituali profectu regulariter, iuuentutis feruor ætatem ſenilem exuperat, & excedit. Non eſt ergo æqua comparatio iuuenculæ (quæ proceſsit quoque parata, & ornata ſicut ſponſa viro ſuo) cum ea quę viuidis annis iam conſolidata in maturã proceſsit ætatem; potuit enim tam breui tempore diuina ope primum feruorem iuutẽutis hucuſque ſeruare, earum calamitatum expers, quibus, vel corpus totũ intercidere, vel prodigioſum fieri, vel certe debilitari poterat. Illud certe prodigioſum, quod aliorum Sacrorum Ordinum corpus Benedicti, Dominici, Franciſci, &c. vſq, in ſenectam, & ſeniũ productum, vltimam adhuc ſperans ſenectutis periodum in miſericordia vberi robuſtiſsimũ perſeueret, vt in Euangelicæ prædicationis ſtadio, cum iuuenibus, & ſi athletis fortiſsimis pari, ne dicam maiori curſu contendat, nec ſudoribus fatigatum ante, & hoc etiam tempore per vniuerſum orbem excurrat, diſſeminans Euangelium Chriſti, Anno 1541. S.

Pater Franciſcus Xauerius Societatis IESV, Vir Apoſtolicus Vliſſypone ſoluit in Indiam Orientalem, ad Iapones vſq; penetrauit, trecenta infidelium millia ad Chriſtum adducēdo, primus in Iapone Fidei plantator; Inde via facta in mari equis ſuis eandem Iaponis oram, vbi Catholicæ fidei fundamenta iecit Beatus iſte Pater, Anno 1549. deinceps penetrarunt pientiſsimi Patres, Coſmas Turrianus, Ioannes Ferdinandus, Petrus Alcaceua, & alij eiuſdem Societatis viri. Sed primus omnium, qui in Indijs Occidentalibus Chriſti fidem annunciauit, fuit pater Bucil Cathalanus Ordinis Sancti Benedicti, cum duodecim ſocijs eiuſdem Ordinis. Ea enim orbis parte inacceſſa, & innauigabili, ſub Regibus Ferdinando, & Iſabella, à Chriſtophoro Columbo patefacta, & omnium prima Inſula illa (quam cum S. Dominici die feſto inueniſſent, eiuſdem nomine nobilitarunt) ab Alexandro VI. ijs duodecim Sacerdotibus præfectus ad eas oras deſtinatus Bucil, longè, latèq; Chriſtianam Religionem propagauit. Poſtea anno 1497. immenſa Regna Occidentem verſus, ab Americo Veſpuſio reperta, nomine ſuo Americæ ſunt appellata. Porrò in in Perù

Tomas Bozius de ſignis Eccl. lib. 4. c. 3.

ampliſ-

ãplissimo Regionis Americæ Regno primus creatus est Episcopus Frater Vincẽtius è Valle Viridi Ordinis S. Dominici, Martyr illustris, Gentilibus innumeris à fratribus eiusdẽ Familiæ, suaui Christi disciplinæ subiugatis. Cuzco Peruanæ Prouinciæ Metropoli, Ioannes Solanus Dominicani instituti Episcopus præficitur. Ibidem Ioannes Olias Dominicanum, & Sebastianus Franciscanum Cœnobium primi omnium constituxerunt. In Ciuitate quam vocant Pacis, quæ Episcopo Cuzchi subijcitur, Franciscus de Angelis Monasterium Sancti Francisci fundauit primus: in Cinquito vero primus Monasterium Dominicanum extruxit Thomas è Sancto Martino. In Villa Argenti ante alios Cœnobium Sancti Francisci erexit Hieronymus; In Chinquana aliud Dominicanorum Martinus Squinellus: aliud Religiosorũ Mercedis, seu Redemptionis Captiuorum, Sebastianus. Qui omnes per conuicina loca dispersi, plurimos Christo pepererunt. Vrbi Regum primus ex Ordine Sancti Dominici Hieronymus assignatur Episcopus, vbi primus familiam Sancti Francisci constituit Franciscus de Sancta Anna, Dominicanorum Ioannes Osias, aliamque

que Michael Orensis; Petrus Vlloa vnam in Arequiqua, alteram in Ciuitate Leonis, Guanuci, ambas Ordinis Dominicani. In Prouincia Quitensi anno 1530. Fratrum Prædicatorum ministerio annunciatus est Christus populis Bugensibus, Popayaensibus, Quiliceñ, Pupilianeñ, Hipialensib⁹, Chimbensibus. Primus vero omniũ in eadem Prouincia, Alphonsus è Monte Nigro Ord. Prædicatorum Cœnobium; Ludouicus Belga Franciscanorum, Martinus de Victoria Mercedis, fundauerunt. Et ex his, ait Bozius, *quasi quibusdam doctrinæ, & sanctimonia castris, procedunt variæ ad profligandas impietates, & belluinos hominum mores Christiani exercitus acies inuictæ.*

Fr. Alphõsus Fernandez in concertat Prædicatoria.

De signis Eccl. sup.

Post Columbum, & Vespusium, Ferdinandus Cortesius latissimas Oras Mexicanas reperit, qui multis sibi adiunctis socijs è Familia Sancti Francisci, innumeros Christo Populos acquisiuit. Sanctus vero Franciscus, ait Bozius, hoc est meritus, vt prius huiusmodi Indiarũ Mexicaneñ primus ex ordine ipsius crearetur Episcop⁹ Ioannes Cabedus. In Ciuitate verò Mexicana passim constructa visuntur Monasteria Religiosa Sanctorum Augustini, Dominici, Francisci, & Societatis Iesu. Hæc scilicet

scilicet tentoria à nostris fixa, hæc domus Iacob ad quam fluunt omnes gentes, & quotidie ad amplectandam Catholicam fidem inuitantur populi de longinquo, & ab extremis terræ.

Age vero, qui cupis in Orientalibus Indijs curiositatem exercere, percurre quæso remotissimas eas oras, antiquis inuias, sub Emanuele Lusitano, & Rege Ioanne eius filio nobis peruias, & videbis Prædicatorum, Franciscanorum, Augustinienſium, & aliorum Ordinum, vocem tamquam buccinam fortiter, vsque in hanc diem personantē, nam & si maxima laus debeatur Sancto Patri Frāciſco Xauerio, & Patribus Societatis, qui Euangelium per eos tractus indefessè, & laudabiliter disseminarunt, plurimi alij etiā pro gentium Orientalium conuersione, quibus nihil de Euangelio nunciatum erat, sedentibus in tenebris, & in vmbra mortis, vt boni cooperatores multiformis gratię Dei collaborarūt in Euangelio disseminando, & euntes ibant, & flebāt mittentes semina sua, inter quos enituit Henricus, postea Septēsis Episcopus, magnæ sanctitatis vir, cum quinq; socijs, ex Ordine Sancti Francisci. Proxima est tibi Goa ad Gan-

gem sita, hic ne dum illustre Collegium Societatis reperies, sed multas Familias ex Ordinibus Sanctorum Augustini, Dominici, Franciſci vni operi intendentes, vt ex ea Metropoli, Christi cultus per Indiæ totius oras maximè amplificetur. Si in Malacham, quæ olim aurea Cherſoneſſus, pedes protendas, ſimiles tibi occurrent Angeli veloces, deſtinati ad reparandam gentem conuulſam, & dilaceratam. Si ex eo maris tractu, qui ex Cherſoneſſo aurea circumadiacentibus Inſulis Moluchis extenditur ad Sinas vſq; excurres, & Philippinas adibis, omnium Ordinum myriades fidem Catholicam plantantes, rigantes, excolentes, occurrent.

Laborabant ergo prius antiquorum Ordinum Viri, & paucis exceptis Regnis, & Prouincijs, primi omnium, & ſoli torcularia calcabant, & gaudent, quod ipſi laborauerunt, & alij Religioſi diuerſorum Ordinum poſt eos in labores eorum intrauerint, non dum enim in maiori, tam Orientalium, quam Occidentalium parte nouiſsimi operarij diſſeminauerant Euangelium, nec Eccleſias fundarant, quæ cum noſtris antiquioribus poſtea conteſſeratæ ſunt eiuſdem fidei Sacramento,

& cõsanguinitate doctrinæ. Quare antiquorum Ordinũ Familia illud dicere posset. Prior est nostra Indiarum possessio, olim possideo, sed non sola possideo: priuatam nolo gloriam, quæ publica, & Dei est, priuatam nolo esse prædicationem, quæ ad publicam destinatur vtilitatem per publicos legitimosque præcones: communem volo esse non priuatam veritatem, ne priuer ea; solam prioritatem, vt tesseram antiquitatis exhibeo, priorẽ nostrorum cursum fuisse contendo. Quis autem velocior, vel fructuosior ille iudicet, qui operatus est, vt velociter curreret sermo eius & prædicatores, vt Aquilæ volarent, & non deficerent. Sed vide iuniorum fratrum modestiam, quod nullo modo de prioritate, vel de cursus velocitate palmam referre contendant, etiam si cursus velocior appareret; scriptum enim legunt quod, & cum omnibus tãta modestia obseruãt. *Honore inuicem preuenientes.* Rom. 12.

Quare etiam Petrus, & Ioannes currebãt ambo simul, & ille alius discipul⁹ præcucurrit citius Petro (tamen omissis alijs titulis, & prærogatiuis Petri) ob venerandam canitiem Petrus prius monumentum ingreditur. Ioan. 20.

Verum non quærenda ab hominibus gloria sed

ria, sed à Deo, qui probat corda nostra, *vnde*
Lib. 5. de ciuit. c. 20. *non ei digne seruit soliditas firmitasq; virtutum &c.* si vnde *placeatur hominibus, ventosæ gloriæ seruiatur*, religiosus enim homo Dei cultor, *plus intendit in ea in quibus sibi displicet, quam in ea si qua in illo sciat, quæ non tam ipsi, quam veritati placent. Neque id tribuit vnde iam possit placere, nisi eius misericordiæ, cui metuit displicere.* qui, & si nouissimos operarios in merito, & gloria pares faciat ijs, qui portauerunt pondus, diei & æstus, Dominus est; nulli iniuriam irrogat, taliter sua bona destribuēs secundum mensuram donationis Christi, & secundum proportionem meritorū, quæ non tempore, sed charitatis feruore mensurantur, sicut pariter retributio, & remuneratio. Non æmulatur charitas, quod alij æquale, vel maius accipiant, & si ipsa æmuletur charismata meliora: *hoc enim* (ait Chrysostomus) *proprium inuidiæ* (quam suppono, ex omnium religiosorum perfectorum cordibus relegatam) *quando*
In Imperf. c. 20. hom 34. *alteri aliquid additur, sic dolent inuidi, quasi illis sit aliquid subductum quod illi est additum; vt puta, si viderit fieri aliquem ditiorem putat, inuidus se pauperem factum: si alteri sapientior fuerit factus, ita dolet quasi ipse sit insipiens: factus, intelligis, quia ex vana gloria nascitur inuidia: Nam ideo dolet esse secundus, quia desiderat esse prior.* O quam multi, ait idem Chrysostomus, imperfectos Christianos plorans, & tepidos sa-

ræ religionis professores, tabescunt & per eum cum alios se præclare gerentes, cum omnem Ecclesiam, vel verbo, vel quopiã alio modo adiuuari viderint, &c. cum diabolo tales Ecclesiam impugnant, fortasis autem & Diabolo peius; nam ab hoc quidem caueri potest illi vero dilectionis induentes personam, clanculum ignem accendunt; sæpius in fornacem immittentes, & morbo laborantes, qui non solum haberi misericordiæ possit, verum multum habeat risum. Quid enim quæso palles, & tremis, & trepidus factus es? & quid mali factum est, quod splendidus frater, & illustris est, & probabilis? Non itaque coronari fuit opus, & gaudere, atq; Deum glorificare, quod membrũ tuum est splendidum, & illustre? Sed doles, quod Deus glorificatur. Vides, quo tendit impugnatio? sed non quod Deus, inquit, sed quod frater glorificatur. At per hũc ad Deum gloria redundat, igitur, & impugnatio tua. Verum hoc, inquit, me non contristat, sed per me Deum vellem glorificari. Gaudeas igitur se glorioſum exhibente fratre, & per te rursum Deus glorificabitur, & omnes dicant, Benedictus Deus, qui tales habet seruos ab omni liberatos inuidia, mutuis congaudentes bonis. Et quid dico fratre? Nam licet hostis esset, & inimicus, si tamen per hunc Deus glorificaretur, amicum fieri propter hoc oporteret: tu vero amicum facis inimicum, quoniam propter illius prosperitatem Deus conglorificatur. Si quis corpus tuum male se habens curauerit, licet sit inimicus, ipsum iam de primis amicorum esse censebis. Christi vero corpus amantem, idest Ecclesiam & amicum ducis inimicum, quomodo contra Christum pugnam aliter prætulisses? Propterea siue quis signa faciat, siue virginitatem, siue ieiunium siue humi- Hom. 53. ad popul. Antioch.

ſtratum excollat, ſiue ipſos Angelos virtute præueniat, omnium erit ſceleſtiſsimus hunc habens defectum, & adultero, lenone, & latrone, ac fure iniquior. Ergo ne in has vitiorum inanis gloriæ, & æmulationis voragines præcipitemur (quod Deus ob ſuam miſericordiam non permittat in Religioſis pectoribus) qui maior eſt, fiat ſicut minor, & primi nouiſsimi: puſillo enim gregi Apoſtolico complacuit dare regnum; acquiſiuit enim humilitas, ſuperbia quod amiſit, & grex puſillus, ac mitis totus, & varias edomuit propria manſuetudine feritates. puſillus grex viuit, & fregit tot genera beſtiarũ, quod diuerſitates ſubdidit iugo Chriſti nationum. Quare & ſi prioritate temporis alios antecederem in Apoſtolica cultura, puſillam in meritis, atque nouiſsimam me exiſtimo & fateor, non inuidens ex Dei gratia fraternæ charitati, nec de gratia, & charitate, Deique donis me extollendo, & inaniter gloriando. Qui, & ſi alios operarios maiori voluerit rutilare ſplendore, hoc ipſum fulgere eſt, quæ tam vniformiter difformiter inacceſsibile lumen effulgeat. Et ſi reſpectiuè comparatam me nigram voluerit appellari, iam dicere poſſum ad ſodales ſponſi. *Nolite me conſiderare quæ fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.*

Chryſol. ſerm. 25.

## CAPVT VII.

Ex do-

## Ex doctrina S. Bonauenturæ aliæ cauſæ aſſignantur tepiditatis aliquorum imperfectorum Religioſorum, quæ cautionis, timoris, & humilitatis fructus ſubminiſtrant, ne ſuperbi incidant in foueam perditionis.

SED etiam nigredinis meæ aliam accipe rationem ex Sancti Bonauenturæ doctrina, qui varios ardores, quibus offuſcari poteſt vnaquæq; Religio elegantiſsime tradit.

### Epiſtola S. Bonauenturæ.

SAnè perquirenti mihi cauſas, cur ſplendor noſtri Ordinis quodammodo obfuſcatur, ordo exterius inficitur, & nitor conſcientiarũ interius deſeratur, occurit negotiorum multiplicitas, qua pecunia noſtri Ordinis paupertati ſuper omnia inimica, auidè petitur, incautè recipitur, & incautius contrectatur. Ad generalem Miniſtrum, & cuſtodem in opuſculis.

Occurrit quorundam Fratrum otioſitas, quæ ſentina eſt omnium vitiorum, qua plurimi conſopiti monſtruoſum quendam ſtatum inter contemplatiuam, & actiuam eligentes, non tam carnaliter, quam crudeliter ſanguinem comedunt animarum. Occur-

Occurrit euagatio plurimorũ, qui propter ſolatium ſuorum corporum grauãdo eos, per quos tranſeunt, non exempla poſt ſe relinquunt vitæ, ſed ſcandala potius animarum.

Occurrit importuna petitio, qua omnes tranſeuntes per terras, adeò abhorrent fratrum occurſus, vt eis timeant quaſi prædonibus obuiare.

Occurrit ædificiorum conſtructio ſumptuoſa, & curioſa, quæ pacem fratrum inquietat, amicos grauat, & hominum peruerſis iudicijs multipliciter nos exponit.

Occurit multiplicatio familiaritatum, quã regula noſtra prohibet, ex qua ſuſpiciones, infamationes, & ſcandala plurima oriuntur.

Occurrit improuida cõmiſsio officiorum qua fratribus, nondum vſquequaq; probatis, nec carne maceratis, nec ſpiritu roboratis, imponunt officia vix portanda.

Occurrit etiam ſepulturarum, & teſtamentorum auida quædam inuaſio, non ſine magna turbatione Cleri, & maximè Sacerdotũ.

Occurrit mutatio locorum frequens, & ſumptuoſa cum quadam violentia, & turbatione terrarum, cum nota inconſtantiæ non ſine præiudicio paupertatis.

Occur-

Occurrit tandem ſumptuoſitas expenſarũ, nam cum Fratres paucis nolint eſſe contenti, & charitas hominum refriguerit, facti ſumus omnibus oneroſi, magiſq; fiemus inpoſterum niſi remedium velociter apponatur. ] Hæc S. Bonauentura aliquorum ſui temporis tepiditatem, neq; totius ſui Ordinis, ſed paucorum in tanta multitudine ſtatũ deplorans, ad noſtram, & tuam etiam cautelam ſodalis ſponſi. Nam ſi ex Dei gratia, & non tua induſtria omnes tui liberi, & exempti ab his malis à nõnullis celebrantur, cautus eſto & vigilans ad rimulas omnes præcludendas, ne aquæ te mergant in profundum. Ante languorem adhibe medicinam. Si vero agnoſcis in aliquo hos defectus, & ita excuſare tentaris, vt occultare, vel confiteri erubeſcas: iam ſcis contra hanc tentationem (ſi irrèperet) quod ſcripſit Chryſologus ſerm. 30. *Et quis eſt peccator, niſi qui ſe peccatorem negat? magis ipſe peccator eſt, & vt verius dicam, ipſe iam peccatum eſt, qui ſe iam non intelligit peccatorem.* Si autem humiliter confiteberis aliquem ſaltem imperfectũ ſodalem à feruore primo priorum Heroum, & Sanctorum virorum tuorum veſtigijs, non nihil declinaſſe; virgulam cenſoriam, cum de elatione ten-

taris, ne assumito, animaduersionem tempera: nã vt dicit Bernardus Epistolstola 252. hoc *nec licere vllatenus puto: vbi communis est causa, personæ reatus præiudicare non debet, etiam si vera essent, quæ in nos dicitis.* Nec leuis etiam est iactura Religionum cum decentibus senibus primæuæ institutionis, & feruentis vitæ conseruatoribus, virtutum prototypis iuuenes succedant vagi, garruli, incõstantes, delicati, ambitiosi sub specie discretionis rigorem primum relaxantes, vndè posteritas non habendo prima exemplaria, vel saltem ab his exemplata secũda, vel tertia, minima quoq; negligens paulatim corruit, & vt scripsit ille.

Horatius ode 6. l. 3.

Ætas Parentum peior auis tulit,
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Hoc malum lue grassante per vniuersam Europam experta sum anno 1348. cum enim Ciuitates ipsæ hominibus destituerentur, ipsa quoq; Monasteria facta sunt sicut vmbraculũ in vinea, & sicut Ciuitas, quę vastatur, pro virore calami, & iunci, totum repleuerũt spinæ, & vrticæ, vnde delicatis puerulis Cœnobia oppleta sunt, & rigor disciplinæ ex ætate lentescere cœpit, & morbo; & senibus de medio

iam

iam per mortem ſublatis, quos imitaretur iuuentus delicata, & relaxata non habuit; vnde & conſimilem cauſam multorum abuſuum Ciuitatis Cõſtantinopolitanæ aſsignãs Chryſoſtomus dixit. *Exemplaria diſparuerunt propterea iuuenes non fiunt admirabiles.* Verum qui ſe exiſtimat ſtare videat ne cadat. *Vlula abies,* ait Zacharias, *quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vaſtati, ſunt, Vlulate quercus Baſan, quoniam ſuccisus eſt ſaltus munitus.* & ſi ager noſter diuina manu conſitus cœleſtibus aquis prædictionũ, viſionum, miraculorum perenniter irrigatus, continuo aratro legis, & diſciplinæ clauſtralis, & iugi opera Sanctorum excultus, tandem poſterorum in curia hic, vel illic ſylueſcit, & ſolis, & æſtus ardoribus alicubi exiccatus non ſemper reſpondeat germini, vel labori, ſed pro tritico quandoq; lolium reddit, & auenas pro frumento; timeant alieno caſu, tam primi quã nouiſsimi vineæ cultores, quia & ſi diuinis quoq; donis mirifice fuerit dotata eorum portio, quæ illis contigit diuino prædeſtinationis funiculo, non ampliori gratia præ noſtra portione decorata cognoſcitur, vz vt ſola ſit præcæteris benedicta ſpinas, & tribulos nequaquam germinatura: timeant ergo abietes

Hom. 40. ad popul. cap. 18.

cadentibus altissimis cedris, & quercus Basan paueãt saltu nemoroso succiso. Sed quamuis sodalium sponsi illustri titulo, re, & nomine merito decorentur, salubrem timorem minime abijciunt, nam iugiter legunt intimiores cubicularios, quia inaniter superbientes, & supra sydera cæli sedes collocare volentes ad ima deiectos, & gloriantibus de templo, *Templum Domini est*, per Hieremiam quoq; responsum. *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ.* Continua meditatione legi Dei incumbentes, ijdem IESV Nazareni imitatores diuini charismatibus repleti animaduertunt, quid de eodem populo superbiẽte describit.

Th. 4.

cap. 4. Candidiores Nazarei eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Denigrata est facies eorum super carbones, super quæ verba S. Gregorius. Quid enim Nazaræorum nomine, nisi abstinentium, & continentium (dicamus, & perfectorum Religiosorum) vita designatur, quæ niue, & lacte nitidior dicitur? Quid per niuem nisi candor vitæ cœlestis? Quid per lac, nisi temporalis dispensationis administratio demonstratur? & quia plerumq; continentes viri Religiosi in Ecclesia tam mira opera faciunt, vt ab eis multi, qui cœlestem vitam tenuerant, multi qui terrena bona dispensauerunt superari videntur, & candidiores niue, & nitidiores lacte referuntur. Qui etiam quia feruorem spiritus antiquorum,

3.a. Mor. cap. 17.

rum, & fortium Patrum nonnumquam vincere vitam videntur, recte dicuntur, rubicundiores ebore antiquo, dum enim rubens nomen imponitur sancti desyderij flamma signatur. Sapphiro pulchriores, ætherei quippe coloris est sapphirus, & quia præcedentes multos, atq; ad superna tendentes per cœlestem conuersationem videntur vincere, narrantur Sapphiro pulchriores extitisse; sed plerumq; dum virtutum copia etiam plusquam expedit properatur, in quandam sui fiduciã mens abducitur, & decepta præsumptione propria repente peccato surripiente fuscatur. Vnde repente subiungitur. denigrata est facies super carbones; & quia post amoris ignem ad frigus corporis veniunt, extinctis carbonibus ex compa.atione præferuntur. Ergo (vt ad infirmos si qui sunt sermonem dirigam) elationis tentatione obrepente, cum sodalibus sponsę te adiunge, ne denigreris super carbones, & vnum chorum cum illa constitue: omnes .n. è gentibus peccatores, & omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. ergo alacriter occinamus. Nigra sum, &c. Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me sol.

## CAPVT VIII.

Ex persecutione quoq; Gentilium, & Hæreticorum, & aliis calamitatibus, quibus ne dum illustres personæ

trucidatæ, sed & cœnobia solo æquata, decolorationem non minimam, se passam esse Turtur demonstrat.

SED, & persecutionis sol pellem quoque meam decolorauit; rapti enim ad tribunalia Gentilium, & hæreticorum testimonium fidei reddentes, igne, ferro, flammis absumi potius passi sumus, quam veritatem in tantillo temerare, & solo potius æquari domos, cœnobia, quã opes, & fortunas vniuersi Orbis possidere. Perlustra Germaniam, in Angliam oculos dirige, Poloniam, Gallias percurre, noui etiam Orbis Prouincias excurre: hic furentibus Gentilibus cadauerum aceruum, ibi grassantibus hæreticis Caluinistis, & Lutheranis sanguinis torrentes aspicies: hic fumantes cineres, ibi salientes fauillas. Nescio si tot sint domus vestræ ædificatæ, quod nostrorum euersæ. Ob destructionem quoq; nostram omnia nostra implestis, Vrbes, Insulas, Castella: vobis etiam reliquimus templa, & aras & adhuc tepentes nostrorũ quoq; sanguine consecratas. Quid mirum? lux enim quotidie interfecta resplendet, & tenebræ pari vice decedendo succedunt; Sydera defuncta vi-

&a viueſcunt; tempora vbi fiuntur incipiunt, fructus conſummantur, & redeũt; certè ſemina nonniſi corrupta, & diſſoluta fœcundius ſurgunt, omnia pereundo ſeruando, omnia de interitu reformantur. Vnde niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſũ ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit multum fructũ affert. Hæc eſt victoria noſtra, ex Tertullian. vincimus cum occidimur, euadimus cum obducimur, obtinemus cum expellimur; multiplicamur, cum morimur. Hic eſt habitus victoriæ noſtræ. Hæc palmata veſtis, tali curru triumphamus, quod ex deſtructione noſtra, orta ſit multiplicatio veſtra. Semen enim, ſcripſit idem, eſt ſanguis Chriſtianorum. In noſtro, & de noſtro collegia veſtra fructificauerunt, ſicut ſi à precedentium Heroum barba, vſq; ad oram veſtimenti ſanguinis non deſcendiſſet vnguentum, modò monaſteria non haberemus, ſed quia deſcendit in oram veſtimenti, ſecuta eſt Eccleſia, de veſte Domini peperit monaſteria. Triumphamus penè quod ne dum vita noſtra, ſed & mors noſtra ſit in obſequium veſtrum, omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Cephas, ſiue mors, ſiue vita, dicamus, ſiue Baſilius, ſiue Auguſtinus, ſiue Benedictus, ſiue Bernardus, ſiue Dominicus, ſiue Franciſcus,

Tertull. in Apolog.

Auguſt. in pſalt. 132.

ſiue

siue vita quæ cedit in exemplum, siue mors, quę vos protraxit in lucem. Omnia noſtra veſtra ſunt,& veſtra pariter noſtra charitatis glutino, quo, vt decet, ſodales ſponſæ B. Virginis, complectimur ſponſi ſodales. Omnia, inquam, veſtra ſunt, ſicut & veſtra noſtra ſunt, ſiue ſilentij diſciplina, ſiue feruens oratio, ſiue contemplatiua vita, ſiue actiua Veſtra noſtrorum Sanctorum exempla, quæ in veſtris menſis, ſcholis, congregationibus quotidie lectitantur. Veſtra noſtra doctrina Sancti Auguſtini, Thomæ, Bonauenturæ è quorum fonte potati in dies tot veſtra commentaria omni eruditione referta in lucem prodeunt. A noſtris quoq; pro veſtris Collegia fabricata, tale eſt illud, quod Fr. Bartholomæus Bracharenſis Archiepiſcopus,Hiſpaniæ primas, inſtituti S. Dominici à fundamentis copioſis redditibus erexit. Noſtrorum quoq; paleæ ſint veſtræ, vbi reponatis pullos veſtros. *Diſcedite iuſtitiam moniti.* Aſſerta noſtra ſcãdala, quæ tanquam paleæ virtutum tritico ſunt permixta, veſtra ſint, hoc eſt ſeruiant vobis pericula noſtra, vt nunc ſeruit Deo præſeruatio veſtra: memores tamen Prophetæ, nos & vos admo-

2. contra nentis. *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur*

*Domi⁹*

*Dominus, & pereatis de via iusta,* & vt dicit August. *paleas vestras nobiscum copiosissimè ferre recusa, & si sola frumenta desideras, geme in labore agri, gaude in spe horrei, tolera malos, in communione Sacramentorum Christi.* Parm. c. 15. 3. contra Cresco. Gram. c. 81.

## CAPVT IX.

### Maiorem decolorationē rursus Turtur se passam ostendit à contradictione linguarum hæreticorum, personas cum statu religioso exufflantium, & (quod valdè dolendum est) domesticorum aliquorum, filiorum Ecclesiæ, qui ob vnius, vel alterius lapsum, in totam religiosam familiam linguas armarunt.

DECOLORAVIT me quoq; sol hæreticæ persequutionis in contradictionē linguarum, instituta Cœnobitica damnando, nec statum à personis destinguendo, & Religiosorum defectus populis propalando. Hic impius ille monasteria vocat [Conuenticula schismaticorum, porcorum haras:] ibidem eorundem [mores peruersos, improbos.] Ibi alter nebulo religiosos vocat [superstitiosos, voratores, superbos, otiosos, gulosos, amphoras po-

Calu. 4 instit. c. 15. §. 15. 16. 17. Beza in confess. c. 7. & 14.

ras potius, quam homines, ignorantes, blasphemos, inuidos, ambitiosos, proditores, homicidas, ] & monasteria vocat [ lustra, & teterrimarum, ac monstruosissimarum libidinũ officinas, vel fœdissimas potius cloacas, ] & quid mirũ si in Monachos inuehantur cum patris sui diaboli desideria expleant? nam dæmonibus loquens magnus Antonius dicebat, quod illis hostile bellum contra monachos, & virgines Christi est. Et ijsdem idcirco displicet nomen Monachorum, ex August. quia illi nolunt in vnum habitare cum fratribus; & eorundem est (vt contra Petilianum idem scribit) in vituperationem monasteriorum, & monachorum linguam armare. Leuius ferrem, si soli hæretici haberent professores vitæ monasticæ, vt feras belluas, ac portenta horrenda humanæ formæ lineamentis adumbrata, dæmonesq; nequissimos: quod enim inimicus maledicat, vtique sustinendũ existimo; sed quod traducere me velint nonnulli sæculares domestici Dei, & filij Ecclesiæ, magis adurit me sol per diem; quam luna per noctem. & certe videtur, vt scribit Chrysostomus, quod nequissimus aliquis spiritus omnium simul animos occuparit, atq; repleuerit, per cunctorum ora hæ fabulæ, & erga religio-

apud Athan. in vita Antonij In Psal. 132. lib. 3. c. 40

lib. 1. adu. vitup. vitæ Monast.

sos di-

ſos dieteria, ſermoneſq; vertuntur. Siue enim in forum irruperis eam concionem offendis, aſpicieſq; in tabernis medicorum, vel in qualibet vrbis parte, vbi ſedem habere ſolent hi, qui nihil operari volunt, ingentem riſum ab omnibus moueri. Riſus autem huius, & comœdiæ ratio, ac materies omnis eſt eorum, quæ aduerſus viros geſta ſunt [ vel lepida lapſus eorum ] iocunda, ac feſtiua narratio. & vt deſcripſit Auguſt. ad nihil aliud ſtudent, neque quid aliud captant, niſi vt quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non poſſe manifeſtari. Et tamen ipſi, ſubdit idē Auguſtinus, cum aliqua maritata inuenitur adultera, nec proijciunt vxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cum autem de aliquibus qui ſacrum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falſitatis ſonuerit, vel ſciri potuerit; inſtant, ſatagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur. Hos ergo de noſtris doloribus ſuauitatem malæ linguæ captātes, facilè eſt illis canibus comparemus, ſi in malo intelligendi ſunt. qui lingebant vulnera pauperis illius, qui ante ianuam diuitis iacebat, & quouſq; veniret ad requiem ſinus Abrahæ, laborioſa, & indigna omnia tolerabat. Vnde hi quoq; reprehendendi qui religioſorum ſopitos cineres profana manu ventilante, & quæ ſilentio ſepeliri oportebat rediuiua opinione diffamant, ſequentes omnino veſtigia auctoris ſui Cham, qui nuditatem venerandi Noe, non modo operire neglexit, verum quoque irridendam cæteris enunciauit: vnde tantam cæſæ pietatis mæru-

Epiſt. 137

it offensam, vt etiam posteri ipsius peccati sui maledictis obligarentur, beatis illis fratribus longeque dissimilibus, qui nuditatem ipsam reuerendi Patris neque suis temerare oculis, neque alienis patere voluerunt, sed auersi vt scribitur texerunt eum, quod est erratum viri sancti nec approbasse, nec prodidisse: atque id circo beata in posteros benedictione donati sunt, vt eleganter S. Vincentius Lerinensis alloquitur.

Audite mali laici diffamatores, dilaceratores præcipuorum membrorum Christi. Et si peccata, & scandala in quibusdam aduertatis, nihil vniuersitati, & communicati sanctorum de bonitate, & existimatione deperit. Non me, sed Sanctum AVGVSTINVM vos e-

Epist. 137. uincentem attendite. Quantumlibet autem vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt domus mea sit melior, quam arca Noe, vbi tamen inter octo homines reprobos vnus inuentus est, aut melior sit, quam domus Abrahæ, vbi dictum est. Ejcie ancillam, & filium eius: aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Iacob dilexi, & Esau, odio habui: aut melior sit domus ipsius Iacob, vbi lectũ Patris filius incæstauit: aut melior sit quam domus ipsius Dauid, vbi filius eius cum sorore concubuit; cuius alter Filius cõtra partis tam sancti mansuetudinem rebella-

rebellauit: aut melior sit quam cohabitatio Pauli Apostoli, qui si inter omnes bonos habitaret, non diceret, quod superius commemoui, foris pugnæ intus timores; nec diceret cum de sanctitate, & fide Thimothei loqueretur: neminem habeo qui germane de vobis solicitus sit: omnes sua quærunt, non quæ sunt Iesu Christi; aut melior sit quam coabitatio ipsius Domini Iesu Christi, in qua vndecim boni, perfidum, & furem Iudam tolerarunt: aut melior sit postremo, quam cælum, vnde Angeli ceciderunt. Simpliciter autem fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam: exquo Deo seruire cæpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in Monasterijs profecerunt, ita non sum expertus peiores, quam qui in Monasterijs ceciderunt, ita vt hinc arbitrer in Apocalyp. scriptum: iustus iustior fiat, & sordibus sordescat adhuc. Qua propter, & si contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur etiam de plurimis ornamētis.

Præclarè de nostro quoque sæculo scripsit Bozius lib. 9. cap. 8. Nullibi magis Religio floret, vt inter Catholicos, inter quos præstantissimi quoque Religiosi, & qui inter Religiosos dignitate, & sanctitate præcellunt, ijs est sanctitas præcipua, atq; eminentissima, non quidem si respicias singulos, sed si vniuersos: non enim potest, aut debet negari è Clericis, Monachis, &c. esse aliquos scelestos sed hic non agimus de aliquibus, verum de vniuersitate tota Religiosorum, alioquin ex Angelis nōnulli mali, & ex Apostolis Iudas. Hæc ille; hæreticorum, & malorum Catholicorum linguam detrahentem compescens,

quæ propter paucorum defectus totam Religioſorum vniuerſitatem traducere non formidat. Sed lingua eorum dum tranſit interra, nulli ordini, vel ſexui, vel conditioni parcens ponit tandē in cælum os ſuum, in Deū, & Sanctos eius detractionis verba profundēs.

## CAPVT X.

### Quod videntes malos in religioſis caſtris, & tacentes de bonis, Balaac imitantur, qui ad maledicendum populo Dei Balaam incitabat, partem Iſraelis, non totam multitudinem oſtendendo.

ALIVD autem eſt quorundā malorum laicorū filiorū huius ſęculi decolorantium, ſeu denigrantium genus, qui videlicet, vel adulatoriè laudant, de quibus dicebat
Pſal. 101. Dauid, *qui laudabant me, aduerſus me iurabant* vel ſaltem, qui incaute laudant, nimirum vt communitatem laudantes, taceant de malis, vel intuentes malos ſileant de bonis. Vnde ſponſa ex parte laudata, & ex parte denigrata clamat, gemit, *nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decoloravit me ſol.*

Ductus

Ductus fuit Balaam à Rege Balac ad excelsa, vt malediceret Israel, cumque ibi solum intuitus esset extremam partem populi, assumpta parabola sua dixit. *De Aram adduxit me Balac Moabitarum, de montibus Orientis. Veni, inquit, & maledic Iacob, propera, & detestare Israel. Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detestor, quem Dominus non detestatur? De summis silicibus videbo eum, & de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare possit puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Num. 23. Cumq; ad votum Balac non succesisset maledictio, eo quod totum Israelem considerasset Balaam, & non è vallibus, sed è summis silicibus eundem esset intuitus, dixit Balac ad Balaam quid est hoc, quod agis, vt maledíceres inimicis meis vocauite, & tu è contrario benedicis eis? cui illi respondit. num aliud possum loqui nisi quod iusserit Dominus? Dixit ergo Balac, Veni mecum in alterum locum vnde partem Israel videas, & totum videre non possis, inde maledicito ei. at quid respondit Balaam? Attẽdite. Adbenedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo, non est Idolum in Iacob, nec videtur simulachrũ in Israel, Dñs Deus eius cum eo est, & clangor victoriæ Regis in illo. iterũq; ductus in verticẽ montis Phogor tantum abest, vt malediceret

in hæc

in hæc benedictionis verba prorumperet. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi Cedri prope aquas.*

Quid per Balac ad propositum nostrum, nisi detractor, vel adulator, vel incautus laudator significatur? qui maledictionem, communitati religiosorum imprecari intendens extremam partem populi, vel partem eiusdē, non totum considerat? Quid per Balaam, nisi cautus, discretusque laudator innuitur, qui non singulos, vel seorsim de communitate considerans, sed singulos in communitate respiciens, non de imis locis defectus prospicit singulorum, sed de summis montibus, & collibus totius communitatis pulchritudinē, & ordinem intuens, benedictionem super illam semper effundit. Quatenus, & per hoc discamus non ad ima descendere, vt nostrorum fratrum minutias consideremus, & defectus aspiciamus, qui ex vicinitate, & obseruatione noscuntur (obseruat siquidem peccator iustum, & quærit mortificare eum,) sed procul à curiositate, & obseruatione ex suprema mentis, & recte intelligentiæ, & pietatis vertice, & cole intuendum totum communita-

munitatis corpus exhibeatur, cuius pars si videretur maledictionis, & reprehensionis esset capax, vbi cum toto coniuncta, & incorporata, nonnisi elogia, & encomia audit. *Non est idolum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel.* Sicut n. per aquarum diluuium vna Domus Noe remansit ad reparandum genus humanum, sic in diluuio multarum superstitionum per vniuersum mundum, vna remanserat domus Tharæ typus Ecclesiæ, in qua custodita est plantatio Ciuitatis Dei, cuius illustres portiones sunt Sanctorum ordines, & inter eos ille, qui Aquinatem mundo dedit, qui cunctos aboleuit errores, cum vniuersis superstitionibus, vocum nouitatibus, nouis opinionum, & phanthasmatum idolis; illis vsq; in hanc diem bellum inferens. Vnde, & omnes ordines quia conueniunt in eiusdem fidei vnitate, rursus Rhinocerotis fortitudini assimiliantur. Nec sanctitatem, vel pulchritudinem amittunt, quod intra se peruersos nonnullos contineant: imo, ex hoc quod eosdē valida charitatis compage custodiunt, nec à toto abijciunt, ne in parte, & seorsim aliquis eas inspiciat, atque discutiat, merito audiunt illud elogium, *quam pulchra tabernacula*, & iterum,

*Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.*

Quantum vero damnum afferat partes sine toto considerare, hoc est, malos seorsim à bonis, vel bonos à malis, & non totum continens malos, & bonos, accipiamus ab Augu-

[h] Psal 99. stino sic dicente. Hinc autem falluntur homines, vt vel non suscipiant meliorem vitam, vel temere aggrediantur, quia & cum laudare volunt sic laudant, vt non ibi dicant mala, quæ mixta sunt, vt & qui vituperare volunt, tam inuido animo, & peruerso vituperant, vt claudant oculos aduersus bona, & sola mala, quæ ibi sunt, vel putantur, exaggerent.

Inde fit vt vnaquæq; professio malè laudata, ideſt non cautè laudata cum inuitauerit homines laude sua, inueniant illi, qui illuc veniunt, aliquos quales ibi esse non credebant, & offensi à malis resiliant à bonis. Fratres disciplinam istam ad vitam vestram conferte, & sic audite vt viuatis.

Laudatur, vt generaliter dicam Ecclesia Dei, magni homines Christiani, magna Ecclesia Catholica; diligunt se omnes, impendunt sibi quisq; quod possunt, orationibus, ieiunijs, hymnis vacatur per totum Orbem terrarum, vna confessione pacis laudatur Deus. Audit fortè, qui nescit tacitum esse de commixtis malis, venit laude inuitatus, inuenit commixtos malos, qui non illi prædicti sunt, antequã veniret, offenditur à falsis Christianis, refugit à veris Christianis.

Rursus odiosi, maledici, irruunt in vituperationem. Quales Christiani? Qui Christiani? auari, fœneratores. Nonne ipsi sunt, qui theatra, & amphiteatra impleat

pleat per ludos, & per alia spectacula, qui implent Ecclesias per dies festos? ebriosi voraces, inuidi, insectatores alterutrum, Sunt tales, sed non sunt soli tales. Et iste vituperator cæco animo tacet bonos; & ille laudator incauto animo tacet malos. Si autem sic laudamus in hoc tempore Ecclesiam Dei, quomodo laudant scripturæ Dei: ecce quomodo nunc dixi, sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum; audit homo, considerat, placet illi lilium, intrat, adhæret lilio, tolerat spinas, merebitur esse in laude, & in oculis sponsi, qui dicit sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum.

Ita, & in Clericis, laudatores Clericorum intendunt ibi bonos ministros, fideles dispensatores, omnium toleratores, viscera sua impendentes his, quos volunt proficere, non quærentes, quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi; laudant hæc, obliuiscuntur, quia mixti sunt malis. Rursus, qui reprehendũt auaritiã Clericorum, improbitatẽ Clericorũ, lites Clericorum, appetẽtes res alienas, ebriosos, voraces iactãtes, & tu inuidè vituperas; & tu incautè laudas. Tu qui laudas, dic mixtos malos, tu qui vituperas vide ibi, & bonos.

Sic & in illa vita communi fratrum, quæ est in Monasterio Magni viri Sancti, quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei, inde viuunt, cum lectione illis res est, laborant, manibus suis, inde se transigunt, non auarè aliquid petunt. Quicquid eis infertur à pijs fratribus, cum sufficientia, & charitate vtuntur. Nemo sibi vsurpat aliquid, quod alter non habeat, oẽs se diligunt, omnes inuicem se sustinent. Laudat qui nescit, quid interius agatur, qui nescit quomodo illo vento intrante etiam naues in portu collis

colliduntur; intrat quasi securitatem sperans, neminem quem toleret habiturus: inuenit ibi fratres malos, qui mali inueniri non possent, nisi admitterentur. Et necesse est, vt primo tolerentur, ne forte corrigantur, & nec excludi facile possunt, nisi prius fuerint tolerati, & fit ipse intolerandæ patientiæ. Quis me hic quærebat? ego putabam, quia charitas esset hic, & paucorum hominum molestia irritatus, dum non perseuerauit implere quod vouet, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti. Iam vero cum inde exierit, fit & ipse vituperator, & maledicus, & dicit ea sola, quæ quasi se pati non potuisse asseuerat, & quandoque vera: sed vera mala malorum toleranda sunt propter societatem bonorũ, dicit illa scriptura, Veh his, qui perdiderunt sustinentiam. Et quod est amplius ructat indignationes malorum odorem, vnde absterreat intraturos, quia ipse cum intrasset, perdurare non potuit. Quales illi? inuidi litigatores, neminem sustinentes, auari: ille illud ibi fecit, & ille illud ibi fecit. O male quare taces bonos? quos tolerare non potuisti iactas, qui te malum tolerauerunt taces.

Eccl. 2.

Idem in Psal. 132.

Prosequitur alibi Augustinus. Merito illudi fratres charissimi magnificum in Domini Euangelio ex ore Domini. Duo in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur. Duæ in molendino, vna assumetur, & vna relinquetur. Duo in lecto, vnus assumetur, & alter relinquetur. Qui sunt duo in agro, quod dicit Apostolus, Ego plantaui, Apollo rigauit, &c. In agro laboramus, duo in agro Clerici sunt, vnus assumetur, & alter relinquetur, assumetur bonus, relinquetur malus. In molendino duæ? ad plebes retulit. Quare in molendino? quia deuinctæ in sæculo circuitu rerum temporalium,

tamquam

tamquam mola destinatur. & inde vna assumetur. & vna relinquetur, &c. Alij autem dicunt quietem volumus, neminem volumus pati; remouemus nos à turbis. Bene erit vobis in quadam securitate. Si quietem quæris, quasi lectum quæris, vt sine aliqua sollicitudine requiescas, & inde vnus assumetur, & alter vnus relinquetur. Cum eodem Augustino concludo. Nemo vos fallat, si non vultis falli, & vultis amare fratres. Scitote, omnem professionem habere fictos, non dixi omnem hominem esse fictum, sed omnem professionem habere fictas personas. [Tam sunt etenim monachi falsi, quam & clerici falsi, & fideles falsi] sunt Christiani mali; sed & sunt boni; quasi plures malos vides, quia palea sunt, & te ad grana peruenire non permittunt: sunt ibi & grana, accede, tenta, excute, adhibe oris iudicium, nempe discretionis virtutem, vt totum consideres, non partes attendas, sed totum in partibus, & in toto partes, ne Balac vestigia insecteris, partemque Israelis ostendas, totum vero abscondas. Idem in Psal. 99. & in Psal. 132.

Quod si partem à toto præcisam, atque seiunctam attendas, illicò vnitatis, & communitatis compagem, symmetriamq; dissolues: illam vnitatem dico de qua scriptum est. Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Quæ vnitas, & si ad omnes Christianos pertineat, ad Monachos magis propriè pertinet, vt Augustinus exponens pronunciauit.

CA-

## CAPVT XI.

Quomodo in Catharis, Manichæis, & aliis Hæreticis viguit singularitatis morbus, vt se solos mundos, & sapientes iactarent; totam Ecclesiam de immunditia, & ignorantia taxando. Et quomodo olim tentationem qua aliqui Religiosi pulsabantur ad efferendum se super alios ordines, S. Bernardus effugarit.

SED decolorauit me Sol, scilicet ardor nonnullorum laicorum spiritualium, sed imperfectorum, cum ab illis ad pauca respicientibus, inconsideratè loquentibus, ijs sum comparata quos solos mundos, & immaculatos pronunciant, alioſque ab his tanquam impuros, & sordidos aspernantur. Caueamus tales tentationes superbissimas, & periculosissimas, a scintilla enim augetur ignis, & flamma, quæ Babylonicam longè exuperat; siquidem, hic ardor in pectoribus Nouatianorum tantum potuit, vt etiam vniuersalem Ecclesiam despectui haberent, se solos sapere, se solos Sanctos, impollutos, segregatos à

tos à peccatoribus iactantes. Hos secuti sũt, & Manichæi. Vnde S. Aug. ab horum pollicitatione deceptus in laqueos errorũ incedisse confiteri non erubescit dicens. Incidi itaque in homines superbè delirantes & carnales nimis, & loquaces, in quorum ore laqueus Diaboli, & viscum cõfectum syllabarum nominis tui, & Domini Iesu Christi, & paracleti consolatoris Spiritus Sancti. Hæc enim omnia non recedebant de ore eorum, sed sonorenus, & strepitu linguæ. Cæterum cor inane veri; & dicebant; veritas, veritas, & multi etiam dicebant mihi, & nusquam erat in eis, sed falsa loquebantur, non de te tantum, qui verè veritas es, sed etiam de istis elementis huius mundi creaturis tuis. Lib. 3. cõfess. c. 5.

Hęc impij Manichæi, se solos veritatis esse custodes iactantes. Ad quos allusit egregius ille Sanctus Vincentius Lirinensis dicens: Audent polliceri, & docere quod in Ecclesia sua, ideſt communionis suæ conuenticulo, magna, & specialis, ac pene personalis quædam sit Dei gratia, vt sine vllo tædio, sine vlla industria, etiam si nec quærant, nec petant, nec pulsent quicunq; illi ad numerum suum pertinent, tamen ita diuinitus dispensantur, vt Angelicis euecti manibus, ideſt Angelica protectione seruati nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum, ideſt nunque scandalizari. Contra prof. voc. nouit, ca. 37.

Hos deinceps imitati Donatistæ prætextu scandalorum clericorum, monachorum, laicorum quibus, & ipsi maiora confingebant, totam Ecclesiam de Orbe perijsse, & in Africa per-

man-

manſiſſe in parte Donati, & ex ſolis bonis cõſtantem dogmatizarunt. At per Regulas Catholicas anathematizati ſunt, & exuſlati: vnde de fide ad Petrum cap. 43. ſic dicitur Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites aream Dei eſſe Catholicam Eccleſiam, ei intra eam vſque in finem ſeculi frumento paleas contineri, hoc eſt bonis malos Sacramentorum communione miſceri; & in omni profeſsione, ſiue Clericorum, ſiue monachorum bonos eſſe ſimul, & malos, nec pro malis honos; ſed pro bonis malos, in quantum exigit fidei, & charitatis ratio tolerandos. Cum autem, vt dicebat Auguſtinus. Siue per negligentiam Præpoſitorum, ſiue per aliquam excuſabilem neceſsitatem, ſiue per occultas obreptiones inuenerimus in Eccleſia malos, quos Eccleſiaſtica diſciplina corrigere, aut coercere non poſſumus: tunc nec aſcendat in cor noſtrum impia, & pernicioſa præſumptio, qua exiſtimemus, nos ab his eſſe ſeparandos, vt peccatis eorũ non inquinemur, ac ita poſt nos trahere conemur veluti mundos ſanctoſq; diſcipulos ab vnitatis cõpage, quaſi à malorum conſortio ſegregatos. Et vt dicebat S. Cyprianus contra Nouatianos. Et ſi videantur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impedire debet, aut fides, aut charitas veſtra, vt quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Nobis tantummodo laborandum eſt, vt frumentum eſſe poſsimus, vt cum cæperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere noſtro, & labore capiamus. Apoſt. in ſua Epiſt. dicit. In domo autem magna non ſolum vaſa aurea, & argentea, ſed &

De fide, & operibus c. 5.

Ep. ad preſb. Max. cuius meminit Aug. de vnit. Eccl. c. 15.

lignea

lignea, & fictilia, & quędam quidem honórata, & quædam inhonorata. Nos operam demus, & quantū possumus laboremus, vt vas aureum & argenteum simus; cæterū fictilia vasa cōfringere Domino soli concessum est, cui virga ferrea data est. Esse non potest maior Domino suo seruus, nec quisque sibi, quod soli filio pater tribuit vendicare, quod se putet, aut ad aream ventilādam, & purgandam paleam ventilabrum iam ferre posse, aut à frumento vniuersam zizaniam humano iudicio separare. Superba est illa obstinatio, & sacrilega præsumptio, quā sibi furor prauus assumit & dum sibi semper quidam pluiquam miris iustitia deposcit assumunt, de Ecclesia pereunt, & dum se insolenter extollunt, ipso suo tumore cœcati veritatis lumen amittunt. Hæcille, Audi Chrysologum ser. 132. Hoc ergo interest inter congregationis plenitudinem gloriosam, & separationis præsumptam de ignorantia, aut negligentia vanitatem, quod in salute, & honore integri corporis, species est vnitas membrorum, & in separatione viscerum est fœda, lethalis, & horrenda pernicies. Homo quid aliud te docuit in tuo corpore, aut sit diuisa coniunctio, aut tam coniuncta diuisio, nisi vt ex multis vnus, & vnus in multis viueres? est membrorum commercio salutari præcipuus oculus, sed si perseuerat in corpore, alioqui vbi corpori defuerit, sibi non aderit, debent illi membra omnia suæ lucis obsequium. Sed, & ipse oculus sentit corpori se debere quod lux est, qui vtique cum omnibus membris ministratum membrorum prouideat; euulsus à corpore, nec sibi videt. Quisquis ille est, qui se putat aliquid esse tali institutus exemplo, maneat in Ecclesia, vt sit aliquid, alioquin

vbi defuerit illi, sibi esse mox desinit.

Sed & quosdam, qui eadem tentatione pulsati defectionem, & apostasiam à religiosa professione meditari quoque poterant, ex falsorum fratrum consortio, sic præmuniuit Basilius. Si vero aliquis dicat in fratribus esse aliquos vitiosos (neque enim vniuersos opinor culpabit, neque enim propterea, vt vitiosi essent societatem illi coierunt, vt vnanimiter cuncti improbi essent) sed si quis improbos quosdam reperiri inter fratres dicat, eiusmodi que, qui & temerè officia cuncta peruertant, & honestatem negligant, & conuenientem ordini illi contemptim imminuant disciplinam, ac propterea huiusce modi hominum societatem relinqui oportere; nequaquam is idoneam recedendi causam commentus est. Si quidem neque Petrus, neque Andreas, Ioannesue propter Iudæ improbitatē, se à reliquorum Apostolorum choro submouerunt; neque alius de Apostolorum numero quispiam hanc ad recedendum ansam arripuit, neque quominus Christo obtemperans esset vlla in re, illius vitijs retardatus est: sed contra potius relicta illius peruersitate, dominicæ disciplinæ seruientes ac morigeri, pietatem, virtutemque magno ipsi studio sectabantur. Et infra dicit, Petrum bene imitandum, vt qui in vitiorum tenebris degunt, ad meliorem per eum viam reuocentur. Et subdit. Atque etiam Noe iustus ille, cum illa pessimorum hominum colluuie versaretur, non dixit Deo; propterea oportere se exire de mundo, quod reliqui omnes improbi essent; sed eo magis, more generosi ac fortis athletæ, adhuc occalescens se

In const. monast. c. 2.

obdura-

obduruit, & in profundissimo vitiositatis pelago pietatem à tempestate incolumem conseruauit: neque vlla in re Domino prorsus repugnans fuit, sed patientia, tolerantiaq; pietatis nauigium in medijs impietatis fluctibus tutatus est. Quid? nonne Loth cum Sodomis in tanta impietate, tanta legum omnium ac iurisperuersione versaretur, virtutem tamen assiduam, vsque ab omni vitio integram custodiuit; neq; vllis omnino passus est prauis insidijs circumuentũ captiuumue teneri: atq; inter sceleratissimos hospitum cæsores, & quisuma petulantia, libidineque contra naturales leges ferebantur, sanctimoniã vitæ perpetuò, & ipse incõtaminatam seruauit, & reliquos quo ad fieri poterat, exemplo suo idem secum, vt facerent auctor fuit; nempè qui in docenda honestate antiquiora facta habuerit quàm verba. Tu vero culpandus, cum in animo defectionem cogites, & Spiritus Sancti reiectionem machineris, fratrum aliquantam negligentiam, quæ vel sit, vel abste confingitur, causaris, & improbitati isti tuæ, & ad excipiendos pro virtute labores, segniciei contegendę fratrum calumniam, quasi velamen appandis, &c.

Sicut autem voluit Christus Dominus suam tunicam, Ecclesiam vniuersalem indiuisam esse, sic & in ordinibus religiosorum, qui partes præcipuæ sunt corporis eius, eandem voluit vnitatem seruari in vinculo pacis; quod & sua passione promeruit, dicens. Volo Pater vt sint vnum, sicut & nos. Quare ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Io. 17. Ps. 77.

Supra. *Quæ dona?* ait Bernar- ipsam tunicam suam, scilicet polymitam, eamdemq; inconsutilem, & desuper contextam per totum; sed polymitam, ob multorum ordinum, qui in ea sunt, multimodam distinctionem; inconsutilem verò propter indissolubilis charitatis indiuiduam vnitatem. Quis me, inquit, separabit à charitate Christi? Audi quomodo polymitam. Diuisiones, ait, gratiarum sunt, idem vero Dominus. Deinde diuersis enumeratis charismatibus, tanquam variis tunicæ coloribus, quibus constet eam esse polymitam; vt ostendat etiam inconsutilem, & desuper contextam per totum, adiungit. Hæc autem operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis, prout vult, &c. Non ergo diuidatur, sed totam, & integram hæreditario iure sortiatur Ecclesia, quia & de illa scriptum est. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu de aurato circũdata varietate. Itaq; diuersi diuersa accipientes dona, alius quidem sic, alius vero sic; siue Cluniacenses, siue Cistercienses, siue Clerici regulares siue etiam Laici fideles: omnis denique ordo, omnis lingua, omnis sexus, omnis ætas, omnis conditio, in omni loco, per omne tempus, à primo homine, vsque ad nouissimum &c. Omnes ergo concurramus pariter in vnam tunicam, & ex omnibus constet vna, & ex omnibus inquam vna; nam & si ex pluribus, & diuersis, vna est tamen columba mea, formosa mea, perfecta mea. Alioquin, nec ego solus, nec tu sine me, nec illa sine vtroq;, sed simul omnes sumus illa vna; si tamen soliciti sumus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Non inquam tantum ordo noster, aut solus vester ad illum pertinet vnã, sed noster simul, & vester; nisi forte, (quod absit) inuicem inuidentes, inuicem prouocantes, inuicem mordeamus.

deamus, & ab inuicem consumemur. & sic non possit nos Apostolus vni illi viro cui despondit, virginem castam exhibere Christo. Hæc mellifluus Bern.

Fieret autem proculdubio scissura, atque diuisio, si (quod absit,) aliquis elatus, ordinem vnum alteri vellet præferre, ita vt ab eo hic tanquam purior, ab impuriori massa putaretur esse discretus. Omnes autem vnus panis, & vnum corpus sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus. Totum Ecclesiæ corpus ex farinæ satis tribus confessione, scilicet Sanctę Trinitatis cōmassatum, & fermentatum est. Quare non ad azima sinceritatis, & veritatis attineret, sed ad fermentum malitiæ, & nequitiæ, asserere: in fermētato corpore Ecclesiæ; vel in ordinibus, sic esse discretas portiones, vt non in quacunque (vt à Gentilibus aliquid mutuemus) portione.

*Infelix lolium, & steriles dominentur auenæ.*

Quid est hoc asserere, nisi à pastorib⁹ Abrahę, pastores Loth velle esse diuisos? Quid? nisi vt hinc vnicolores oues appareant, albo colore rutilantes, ibi maculosæ, & variæ: cum nō nisi vn⁹ sit grex tonsarum ascendens de lauacro lachrymarum? vnusquisque etiam quamdiu peregrinatur à Domino, saltem habet venialia,

nialia, quæ plangat.

Inuaserat tentatio quosdam (infirmos tamen) Cistercienses Patres, vt supra Cluniacenses inflati, puriores, & sanctiores illis se esse existimarent, quos his verbis Bernardus admonendos curauit. Vnde nunc mihi conueniendi sunt quidam de ordine nostro, qui contra illam sententiam; nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; aliis ordinibus derogare dicuntur: & suam iustitiam solam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Quos profectò (si qui tamen huiuscemodi sunt) nec nostri, nec cuiuspiam esse ordinis verius dixerim. Quippe qui, & si ordinatè viuentes, superbè tamen loquentes, ciues se faciunt Babylonis, id est confusionis; imo filios tenebrarum, ipsiusq; gehennæ, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Vobis ergo inquam fratres, qui etiam post auditam illam Domini de Pharisæo, & Publicano parabolam, de vestra iustitia præsumentes, cæteros aspernamini? dicitis (vt dicitur) solos vos hominum esse iustos, aut omnibus sanctiores; solos vos Monachorum regulariter viuere, cæteros vero regulæ potius existere transgressores. Primo quid ad vos de alienis seruis & suo Domino, aut stant, aut cadunt. Quis vos constituit iudices super eos? Deinde si ita (vt dicitur) de ordine vestro præsumitis; qualis ordo est, vt antequam de suo quisq; trabem eiciat, in fratrum oculis tam curiosè festucas perquirat? Qui in regula gloriamini, cur contra regulam detrahitis? & cur contra Euangelium ante tempus & contra Apostolum alienos ser-

Apol. ad. Gu. Abb.

uos iudi

des iudicatis? An regula non concordat Euangelio, vel Apostolo? Alioquin regula iam non est regula, quia non recta. Audite, & discite ordinem qui contra ordinem aliis ordinibus derogatis. Hypocrita, inquit, ejice primum trabem de oculo tuo, & sic videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. Quæris quam trabem? an non grandis & grossa trabes est superbia, qua te putas aliquid esse cum nihil sis? Insanissimè tibi tanquam sanus exultas, & alijs vanissimè trabem portans, de festucis insultas. Gratias, inquit, ago tibi Deus, quia non sum sicut cæteri hominum iniusti, rapiores, adulteri. Bene ait Augustinus: Nolo te esse latronem s. 49.
insultātem Cruci Domini, sed nec te volo esse Pharisæum iactantem merita sua, & occultantem vulnera sua. Si fueris iniquus, & perseuerans in illa iniquitate, non dico tibi non proderit laus, sed non me laudas, ait Dominus: Laudem istam esse non deputo. Rursus si fueris quasi iustus (nam nemo iustus nisi humilis, & pius) si & de iustitia inflatus incesseris, & alios in tua comparatione contempseris, & superextuleris, tāquam glorians de meritis tuis, non me laudas: nec ille me laudat qui malè viuit, nec ille me laudat, qui quasi de suo bene viuit. Sed nunquid ille Pharisæus, quasi de suo talis erat, cum diceret, Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines? Gratias Deo agebat, ex eo quod bonum inse habebat. Quamuis ergo aliquid bonum in te sit, quamuis iam intelligas, non ex te esse quod bonum est, sed à Deo te accepisse: tamen eo ipso si te extuleris super alium non habentem, inuidus teneris, nondum laudator meus eris. Primo ergo corrigere à via pessima: incipe viuere bene, intellige quia non corrigeris nisi do-

no Dei

no Dei; à Domino enim gressus hominis diriguntur. Hoc cum intellexeris, fave, & alijs vt sint quod & tu es, quia hoc eras, & tu, quod illi sunt: fave quantum potes, & noli desperare, nõ enim vsq; ad te diues est Deus. Iam vero si vel saltem primis motibus (quæ est humana tentatio) tangeretur, vt se super alios extolleret, aliqua religiosa anima, inuenit Bernardum, & Augustinum, quorum auctoritate tales tentationes elidat, & ex eodem suos admonere possit a sues cas, eiusmodi cõparationes abijcere, quibus charitas turbatur, pax scinditur, humilitas inflatur, & omnis ordo deordinatur. Scindãtur vero hi quî sciſſuras faciunt, (non secus ac Corinthij, qui dicebant. *Ego Pauli, ego Cephæ*, ac qui dicunt, ego Augustini, ego Benedicti; ego Dominici, ego Francisci de Assisio; ego Francisci de Paula: ego Ignatij) sunt enim animales homines in capra, ariete, & iuuenca in sacrificio Abrahæ designati: nunquã certè turtur & columba se diuidi patientur; vnde dictum est.

De ciui. li. 16. c. 24. *Aues autem non diuisit:* Quoniã, ait Augustinus, *Carnales inter se diuiduntur, spirituales nullo modo, siue á negotiosis conuersationibus se remoueant sicut turtur, siue inter illas degant, sicut columba.* Diuidi nefas est eos, qui ijsdem Sacramentis, eadem fidei tessera, & religionis vinculo colligantur: non patitu

patitur hoc charitas, quæ ex Bernardo, *Nouit diuisa coniungere, coniuncta diuidere nescit*, sine qua, vt idem dicit, *Quodcunque sacrificium Deo non esset acceptum, quando nec absque eadem, neque martyrium quidem aliquid esse putet Apostolus.* Epist. 7.

## CAPVT XII.

### A pusillis, vel detractoribus quibusdam malis laicis depellit Turtur obiecta scandala, cum spirituali admonitione ad superbiæ, & elationis spiritum eliminandum.

SED ex multiplicium, & notorum scandalorum assertionibus, pusilli iam dicent me nigram, & decoloratam, etiam si à feruente charitatis Sole manifestentur, & lugeantur. Dicant. Propter hoc reciprocos hic edo gemitus, vt sublata nigredine lachrymarum fõtibus, super niuem quoque dealber; quamquam suppositum negare possem, vel modificare, (vt piam mentem zelatoris reprehendentis, christiana charitate, excusem) & non ero insipiens, nec falsam excusationem prætexam. Olim gentiles causati sunt Christianos ad

nos ad diuinas laudes, & conciones, & cætus nocturno etiam tempore conuenientes: multaque scandala somniantes in vulgus diuulgarunt, asserentes, quod essent sceleſtiſsimi hominum, infanticidæ, & tenebrarum, & libidinum impiarum inuerecundiam prouocantes. At quomodo de his se purgabant Christiani, quo argumento se tuebantur. Audi Tertull. in Apologetico. Census istius disciplinæ [Christianæ] vt iam edidimus à Tyberio est, cum odio sui cœpit veritas, simul atque apparuit inimica esse, tot hostes eius, quod extranei, & quidem proprij exæmulatione, Iudæi ex concussione, milites ex natura. Ipsi etiam domesticis nostris quotidie obfidemur, quotidie prodimur, in ipsis plurimum cætibus, & congregationibus opprimimur. Quis vnquam taliter vagienti superuenit? Quis cruenta Cyclopum, & Syrenarum ora iudicij reserauit? Quis vel in vxoribus aliqua immunda vestigia deprehendit? Quis talia facinora, cum inuenisset, celauit, aut vendidit trahens homines? si semper latemus, quando proditum est quod admittimus? imo à quibus prodi potuit? ab ipsis enim reis? non vtique cum vel ex forma omnibus mysterijs silentij fides adhibeatur. Samothracia, & Eleusina reticentur, quanto magis talia quæ magis humanam animaduersionem prouocabant, quam diuina seruantur. Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur vt extranei. Et vnde extraneis notitia? cum semper etiam impiæ initiationes arceant profanos, & arbitris caueatur, nisi impij satis metuunt. Ita in simili respondemus pusillis, &

lis,& detractoribus malis laicis scandala obijcientibus. A quibus quæso scandalorum notitia, & fama processit? ab ipsis res? inuerisimile est potuisse, ne plecterentur facinora publicari. Ab extraneis ergo. Vnde notitia? A domesticis? hoc ipso suspecta est eorum reuelatio,indigni quibus fides adhibeatur, cum domesticos lares, & mysteria reuelent, & publicantes malos, se ipsos non monstrant bonos, dum bonos in exemplar virtutis positos, quos imitentur non publicant, & malos quos mixtos bonis tolerare debebant, in bonorũ despectum, & ignominiam traducunt. Sed non propterea, quia per istos, qui ponunt in cœlum os suum mysteria publicantur Eleusyna vel Samothracia illa, pusillorum, & detractorum malorum laicorum, quæ reticentur meliora, sed cautiora; quando, & Dominus quoque pronunciauit, quod filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. At scandala etiam à vulgaribus asseruntur. Quid nobis cum vulgo? non ex pusillorum multitudine, sed ex sapientium opinione res metiamur. Quis autem nesciat (ait Lactantius) plus esse momenti in paucioribus doctis, quam in pluribus imperitis, rei veritatem magis curo De orig. cir. c. VII

Naz. orð ne 27. de seipso &c.

gis curo (ait Nazianz) imo solum curo, hoc enim me vel condemnauerit, vel absoluerit, hoc miserum, vel beatum reddiderit. Ar, quid alijs videatur, nihil ad nos, quemadmodum nec alienum somnium. Non ita alijs videtur. Quid vero? an ijs qui vertigine correpti sunt terra fixa, & stabilis esse videtur? Quocirca fac prius fidem sanos esse eos, qui de nobis ita sentiunt, ac tum nos admone, vt meliorem frugem induamus. Fama est publica, & omnibus nota. Vtrum est fama malum (ait Tertuli.) quo non velocius vllum? Tertull. in Apolog. Cur malum fama? quia velox? an quia plurimum mendax? quæ nec tũc quidem, cum aliquid veri affert sine mendacij vitio est, detrahens, adijciens demutans de veritate. Quid? quod illi conditio est, vt non nisi cum mentitur perseueret, & tandiu viuit quandiu non probat: si quidem vbi probauit cessat esse, & quasi officio nuntiandi frustrata rem tradit, & exinde res tenetur, res nominatur, nec quicquam dicit. Et postea: Fama incerti est; locum non habet vbi certum est: an vero famæ credit nisi inconsideratus? quia sapiens non credidit incerto. Omnium est existimare, quantumcunq; illa ambitione diffusa sit, quantumcunq; asseueratione constructa. Quod ab vno aliquando principio exorta sit, necesse est exinde in traduces linguarum, & aurium serpat, & ita modici seminis vitium cetera rumoris obscurat, vt nemo recogitet, ne primum mendacium seminauerit quod sæpe fit, aut ingenio æmulationis aut arbitrio suspicionis, aut nonnoua, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate.

An oculi membri viui Columbæ ad scandala:

dala oculos dirigunt? non est credibile, cum columba non nisi fluenta purissima aquarum prospiciat, non cænosas paludes, & turbidos fontes. Si in arca locum tenet in superiori ordine Columba (quandoquidē in arca Noe, non solum arcæ inferiora, sed superiora bicamerata, & in superioribus superiorum tricamerata legimus, significantia ex Augustino tres illas vbertates Euangelicæ tricenas, sexagenas, centenas, hoc est tres ordines castitatis, matrimonialis, vidualis, virginalis, & cænobiticæ) quomodo à sentina arcæ potuit offendi olfactus eius, assueta currere in odorem vnguentorum sponsi? num cum emissa ex arca natantia cadauera mundum excurrēs inspexit? minimè. Solus enim Coruus, solus detractor putore cadauerum oblectatus, cadauera discerpens extra arcam moratur. Columba vero in arcam reuertitur, seipsam intuetur sine felle, & vnguibus reprehendit, palmam oliuæ in ore deferens, hoc est misericordiæ virgam assumens, quam postulans Dauid dicebat, *Corripiet me iustus in misericordia; & increpabit me*: nam quosdam acres reprehensores reprehensione dignos ostendens S. Bernardus locumque istum Dauid ex-

Lib. 15. de ciu. c. 26

pſ. 140.

cribens, dicebat: *In promptu est vobis insipientiam meam corrigere: aut si hoc dignius iudicatis etiam punire:*
Epist. 309 *dico tamen si piè, si Christianè mecum agitur, Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me, non in ira apud alios diffamabit.*

An tunc scandala propalata (dicent pusilli) cum in legitimis subsellijs publicata, atq; damnata, & fontes criminum patratores publicè animaduersi, & amandati. Cædo; æstuet de talibus carcer, ad exilia ad vltimum vsque suppliciũ sint destinati, num de animaduersione plangendum? dicerem ni Dauidẽ obstantem legerem, *Lætabitur iustus, cum viderit*
ps. 57. *vindictam manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Num de iactura imaginata, quam pati existimantur domus bonorum propter punitiones malorum? Minime Exeunte enim Iuda ex Apostolorum Collegio Christi familia illustrior reddita est, & tantum abest, vt gemẽs Christus Dominus auditus fuerit, vt eo temporis articulo gestiens, & exultans in lætitiæ voces proruperit: audi Euangelium. *Cum ergo exisset Iudas dicit Iesus, nunc clarificatus est filius hos*
Io. 13. *minis: & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eum.* Ex illa verborũ geminatione, lætitiæ signo, nullã obscuritatẽ contraxisse Collegium

gium Apostolicũ propter Iudam, sed claritatẽ super claritatem induisse, clarè demonstrans. At præstaret (inquies), ne eò res deduceretur, vt ad animaduersiones sit procedendum. Etiam præstabilius esset, si corpus non ægrotaret: ægritudine verò suppositâ, validius corpus redditur, cum sanioſus sanguis ejcitur, præstatque Soli, & Orbi sanguinem putridum, & sanioſum innotescere, seruato corpore, quàm rabidũ, & inuisũ intra non vitiatas venas delitescere: Et incurabilius reddi posset membrũ: & corpus morbo infici, eò diuturniori, & periculoſiori, quò occultiori, & ab hominum oculis remotiori. Et certè minus incommodi est in mystico corpore habere exterius fæditatem, quàm habere occultæ superbiæ delitescentem tumorem. Elidamus tentationes ignitas dæmonis, si animam religioſam his comparationibus adoriantur, ne in peiora mala incidamus. Dicam asseuerãter. Scãdala illustrium personarum in Ecclesia, ab interna elatione processisse ad quorum medelam, dispensante Deo, tanquam lepra efflorũerunt in frontibus suis, vt conuerterentur, & sanarentur. Audi S. Thomam Aquinatem ingeniorum florem sic differentem. Sicut in Syllo-

gismis

gismis ducentibus ab impossibile, quandoque aliquis conuincitur per hoc quod ducitur ad inconueniens magis manifestum: ita etiam ad conuincendam superbiam hominũ, Deus aliquos punit permittens eos ruere in peccata carnalia, quæ & si sint minora, tamẽ manifestiorem turpidinem continent. Vnde Isidor. de summo bono dicit, omni vitio deteriorem esse superbiam, seu propter quod à summis personis & primis assumitur, seu quod de opere iustitiæ, & virtutis exoritur, minusq; culpa eius sentitur. Luxuria verò carnis adeo nota omnibus est, quoniam statim perse turpis est, & tamen dispensante Deo superbia minor est. Sed qui detinetur superbia, & non sentit, labitur in carnis luxuriam, vt per hanc humiliatus à confusione exurgat: ex quo etiam patet grauitas superbiæ. Sicut enim medicus sapiens in remedium maioris morbi patitur infirmum in leuiorem morbum incidere; ita etiam peccatum superbiæ grauius esse, ostenditur, ex hoc ipso, quod pro eius remedio permittit ruere homines in alia peccata.

Lib. 2. c2. 38.

S. Th. sup. ar. 3. ad 2.

Et propterea cauenda est superbiæ radix ad tanti mali præseruationem. In eo autem consistit, quod superbi, *de se maiora existimant, quam sint*, & inter inducentia ad superbiam vnum est, nempe, quod aliquis consideret aliorum defectus, vt ibidẽ dicitur, vnde oritur quod aliquis alteri se præfert, vbi è contra Sancti viri virtutum consideratione vicissim sibi alios præferunt. Et citat S. Greg. 24. dicentem, atque docentem, quod diuersa sunt dona

24. moral. car. 6.

Dei

Dei in hominibus, & non in omnibus omnia, Vt per hoc quod alter habet, & iste non habet, vnus altero melior ostendatur; quatenus tantò ardentius ad humilitatem quisque proficiat, quantò ex bonis, quæ non habet inferiorem se habentibus pensat. Sicque fit, vt dum ille in isto, atque hic in illo respicit, quod admiretur distincta bona, & ab altitudine elationis reprimãt, & ad studium profectus accendunt. Et sãcti viri dicit idẽ. Dum virtutũ cõsideratione vicissim sibi alios præferunt, volãtia animalia alarũ percussione se tãgunt; vt eò ad volatũ se altius excitẽt, quò humilius alter in altero, quod admiratur videt. Sed hęc dicit idẽ, reprobi nesciunt: quia mẽtis oculos semper in infimis premunt, qui & si quãdo in viam Domini veniunt, non ad meliorum vestigia, sed ad intuenda semper deteriorum exempla vertuntur. Neq; enim eorum vitam considerant, quibus se humiliando postponant, sed quibus superbiendo se præferant. Deteriores naḿq; respiciunt, quibus meliores esse gloriantur; & idcirco proficere ad meliora non possunt, quia hoc sibi sufficere existimant, quod possimus antecedunt. O miseri, viam pergunt, & integra respiciunt. Hæc magnus Gregorius.

Sed præstat ea portio, vbi non oriuntur scandala. An forte extra hunc mundum sublunarem nouissimè reperta est talis regio? scandala cum mundo coniuncta sunt, vnde Christus Dominus dixit: *Ve mundo à scandalis,* ergo vbi scandala non sunt, ea quoque pars mundi non erit. Et si scandalosos non vis vi- Matt. 18.

dere, aut portare exire te oporteret ex hoc mundo. In omni congregatione multitudinis necesse est (ait Augustinus) vt inueniãtur mali. Deus enim qui nouit exercendos nos miscet vobis, & non perseueraturos, aut certe ita simulatos, vt nec incho auerint in quo perseuerare debent. Nouit n. necessariũ esse nobis, vt feramus malos, & proficiat quod boni sumus. At inquies. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine, Vbicunq; (subdit Augustinus) fueris congregabant se cæteri, desertum tecum petent, affectabunt vitam tuam; tu repellere non potes societatem fratrum. Miscentur tibi etiam mali, adhuc tibi exercitatio debetur &c. Attende quia (Dominus) duodecim suis miscuit vnum quem pateretur. Nec propter aliud, ex Augustino. Credendum permittere Deum, vt misceantur numero professionis vestræ multi, & multæ casuri, & casuræ, nisi vt his cadentibus timor vester augeatur, quo superbia comprimatur. Et infra, Perseuerantes in numero vestro præbeant vobis exemplum, cadentes autem augeant timorem vestrum.

In ps. 54.

De Sancta Virg. c. 9.

Inquies melius tandem agitur abscindendo malos, qui nos conturbant, & resecando, putridas carnes, ne corpus inficiant atq; absumat & animaduersione punire seueriori delicta minima, ne crimina pariant; oua ipsa aspidum initio comprimere, ne erumpant in regulum. Optima & necessaria cautela: nã, & Do-

& Dominus noſter, quamuis dixit, Sinite vtraque creſcere vſq; ad meſſem, ne forrè cum vultis colligere zizania eradicetis fortè, & triticum; non ideo (ait Auguſtinus) ommittendam cenſuit Eccleſiæ diſciplinam; imo verò adhibendã docuit; cum dixit; ſi peccauerit inte frater tuus corripe eum. Et poſtea. Eſt ergo ratio diſsimulandi, & tolerandi malos in Eccleſia; & eſt rurſus ratio caſtigandi, & corrigendi. Ea etiam correctione, quam aſsignat Auguſtinus in regula, vt tandem diſcolus, & indiſciplinatus, de noſtra ſocietate proijciatur. Matt. 13. Deſide & operibus cap. 3.

Quid ſi calamum quaſſatum, non conterere, nec lignum ſumigans extinguere cogatur? nonne hoc eſt Chriſti Domini manſuetudinem imitari? Grande certè opus charitatis eſt, arctiſsimo charitatis vinculo, mortuo cadaueri corpus viuũ alligari, ſi correctionis eſt ſpes, vt calore charitatis viuificetur, & foueatur ad vitam, potiùs quàm ad putredinem tendentem corporis aliquam partem abſcindere. Et ſi hoc ſit neceſsitatis, ne cõtagio peſtifera plurimos perdat, illud ſit eximiæ dilectionis ſignũ, infirmum ferendo; & in viuo corpore mortuam vitam tranſigere, vt mortuo, ſuo exemplo, & charitate à Deo impetret vitam. Vnde etiam ex Baſilio. Si fortè contigerit vnum aliquem de ijs, qui in manu digiti ſunt, læ- Sup. c. 22. in conſt.

monast. sum ex dolore aliquo laborare, idcircò continuò etiam alius pertinaciter se præcidi iubebit? Sed contra, dolorem primum amputationis fugiet: deinde etiam constantissimè assistet, vt illus quoque in periculo sit, officium corpori possit præstari: ac non naturalibus omnino priuata ramis manus, proprio, ac natiuo suo decore spolietur. Etiam præstabilius esset proteruientem á pedotriba plecti, quam sontem extra diatribam dimissum impunè vagari, totumque orbem ei pro carcere assignari, *Conterantur brachia peccatoris, & maligni, queretur peccatum eius, & non inuenietur*, disciplinæ enim virga illud effugabit. Hoc enim æquius est, quàm peccante impio, vel de peccato non inquiri, vel si de peccato constet, nec quæratur peccator, nec inueniatur.

## CAPVT XIII.

Triplex ex S. Petro Chrysologo genus scandali distinguitur: & primi, & secundi generis scandala recensentur; à quibus ex Dei gratia se Turtur fatetur immunem.

VERVM ne asserta, & in papyris inserta multiplicia, & orbi nota scandala mentibus imperitorum imprimantur, odiumque

umque aduersus nos concipiant, garrula anus, delirus senex, & quiuis etiam de media plebe vilissimus cerdo, dum hæc materna etiam, & vernacula lingua descripta legunt, & ruminant, sicque occupati animi ex philautia, ante incipiant nos homines odisse, quam nosse, quos cognitos, vel imitari volũt, aut damnare non possunt; opere pretium est, hos qui occasione columbini planctus, & pij gemitus à nobis tanquam terticulamentis more puerorum fugiunt, à terrore tam infandæ existimationis auocare, & sanctorum doctrinis popularem instruere tarditatem, & obloquentium malitiam modestè obiurgare ex sanctorum doctrinis, & documentis. Scandalarum genera, vt scripsit Chrisologus, sunt diuersa, & prima illa sunt, quæ diaboli fraus parit. Secunda sunt, quæ generat calliditas humana. Tertia sunt, quæ parit ex nobis suspicax, & incauta natura. A diabolo sunt illa quæ fallunt specie, qua prætendunt bona, cum mala inferant. Vnde, vt exemplificat idem sanctus, tale fuit scandalum, quod per Petrum Christo diabolus volebat inferre: nam cum Dominus loqueretur passionis suæ gloriam, respondit per Petrum. Non tibi hoc erit Domine. Quia enim triumphum Crucis vacuare contendit, cum se seruere nimio amore mentitur, Dominus seruum post se misit

Serm. 17.

Matt. 16.

ſcandalum remittit autori, dicendo ad Petrum, Vade poſt me. Et diabolo ſcandalum tu mihi es; cauſamq; addidit, non enim ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum. Nihil autem magis crucis gloriam euacuat, quam ſapientia terrena, & carnalis, quæ etiam à Iacobo diabolica appelatur. In eo autem conſiſtit talis ſapientia, quod vult conglorificari cum Chriſto, ſed non perpeti ignominiam Chriſti, conregnare in cœleſtibus, habere tamen radices fixas in terra; pannis infantiæ Saluatoris obuolui, & adhuc in domibus regum mollibus veſtiri, leges ciuitatis Babylonis, præceptis cœleſtis Hieruſalem, connectere; catenulas humanarum rationum, cum retibus Apoſtolicis copulare. Nulla perſecutio iſta acerbior, etiam ſi á filijs Eccleſiæ attentaretur, dicente Ezechia, *Ecce in pace amaritudo mea amariſsima:* amara enim fuit Eccleſiæ perſecutio, vt dicit Bernardus in *nece martyrum*, ob perſecutionē Gentilium: *amarior poſt in conflictu Hæreticorum: amariſsima, nunc in moribus domeſticorum; & pax eſt, & non eſt pax*; cum Dominus non venerit pacem mittere, ſed gladium, ſeparando cœlum à terra, carnem a Spiritu, Spiritum ab anima, quę Dei ſunt ab ijs, quæ ſunt hominum: cum tamen hæc velint ſæculi amatores copulare:

Eſa. 38.

In cantic. ſerm. 32. & in pſ. qui habitat.

Quod

Quod si implere possent, vt scripsit S. Cyprianus ad Cornelium. Quid superest quàm vt Ecclesia Capitolio cedat, & recedentibus sacerdotibus, ac Domini altare remouentibus, in cleri nostri sacrum, venerandumque consessum simulacra, atque Idola cum aris suis transeant? & Nouatiano (omnibus Hæreticis) declamandi & aduersum nos atque increpandi, largior, & plenior materia præstetur? &c. Epist. 55.

Hæc scãdala si in nobis omnibus, aut plurimis inspiciant murmurantes populi, & pusilli, de denigratos, vndequaque libera voce pronuntient. At confidenter, dicere, mundo ipso iudice, possumus longè religiosorum omnium ordinum innumerabiles viros à sapientia & prudentia seculi esse discretos. *Quid Athenis, & Hierosolymis? quid Academiæ, & Ecclesiæ?* quale commercium nostrorum cum negotijs secularibus? Designetur tempus quando iunctum est claustrum nostrum cum Capitolio, chorus cum Foro, Capitulum cum Senatu, pseuoopolitica, cum simplicitate Christiana? *Nostra institutio de porticu Salomonis, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis quærendum.* Gentilium stultam sapientiam exufflat, tantum illorum lectioni insudans, quantum eorum libri Sacræ Theologiæ tanquam Domine, vt ancillæ subseruiant, curiosa respuens, Tertul. de princip. ibidem.

ens, vtilia sequẽdo, & pseudopolitiam, tanquam Dei legi inimicam insectando, vt in Parnasi oris. Tacitum fustigatum iubente Apolline exultet, & probet.

*Diximus primum genus scandali, dicamus & secundum*, vt Chrysologi verbis, & sententijs vtamur, *Scandalum molitus est Ieroboam, qui ex auro vaccas populo in deos figmento miserabili collocauit, ne Deum viuum, ne verum templum, ne diuinam legem, ne legitimos Reges, ne patrios ritus quæreret.* Vnde, & cõtra regis consiliarios Sacerdotes quosdam inuehitur Dominus dicens, *Laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor.* Quo scandalorum genere, errorum satores, falsitatum architecti, Ecclesiæ perduelles, à veritate Catholica populos abducentes significantur, & fugiendi notantur, qui contra Catholicæ Ecclesiæ doctrinam noua dogmata fabricantur, quæ vt dicit S. Vincentius Lirinensis. *Vetus testamentum allegorico sermone Deos alienos appellare consueuit.* Nec hoc scandalum, Dei gratia, quis in religionibus deprehendet; Idola enim subuertimus, hæreses eliminauimus, profanas vocum nouitates, nec in tantilla re exurgere passi sumus. Non ergo hæc scandala gemit columba, nec gemere potest, aut debet. Erit ne qui nos causabitur (quantum

Serm. 27.

Osex. c. 5

Contra. prof. voc. nouit.

ad mo

ad mores attinet) quod noſtra quæramus. *Non quæ ſunt Ieſu Chriſti*, nec illud impleamus, *Soluite et adducite mihi?* & contra illud veniamus? *Non quæro datum, ſed quæro fructum*, idolumque priuatæ commoditatis conſtruamus, & ſimus rete expanſum ſuper Thabor, ſponſam Chriſtum quærentem expoliantes? quando hoc reperiretur in nonnullis noſtrorum non eſſet redargutio ex proprijs, ſed communibus, quando & Sanctus Hieronymus conſimiles defectus aduertens ſuo tempore irrepentes ſic ſcripſit ad Euſtochium, Sunt alij (de mei ordinis hominibus loquor) qui ideo presbyterium, & diaconatum ambiunt, vt mulieres licentius videant. Omnis his cura de veſtibus, ſi bene oleant, ſi ſpes laxa pelle non ſolleat, crines calamiſtri veſtigio rotantur, digiti de anulis radiant, & ne plantas humidior via ſpargat, vix imprimunt ſumma veſtigia. Tales cum videris, ſponſos magis exiſtimato, quam Clericos. Quidam in hoc omne ſtudium vitamq; poſuerunt, vt matronarum nomina, domos moreſq; cognoſcant; ex quibus vnum, qui huius artis eſt princeps breuiter ſtrictimque deſcribam: quo facilius magiſtro cognito diſcipulos recognoſcas: cum ſole feſtinus exurgit, ſalutandi ei ordo diſponitur, viarum compendia requiruntur, & penè vſque ad cubilia dormientium ſenex importunus ingreditur. Si puluillum viderit, vel mantile elegans, ſi aliquid domeſticæ ſupellectilis, laudat, miratur attrectat, & ſe his indigere conquerens

De cuſto. virgi. ep. 22.

querens, non tam impetrat, quàm extorquet. Hæc S. Hieronymus sui temporis imperfectos aliquos notans.

Verum cum vniuersitas ordinum (maximè mendicantium) nomen paupertatis cum re assumpserit, non potest vniuersaliter de illis verificari, quod scripsit Hieronymus cum sint de mēdicitate, atque paupertare, satis superq; cōtenti. Illud magis pro sui defensione sibi adaptat, quod scripsit S. Greg. Sed perfectus ordo prædicatorum, dum fauores de lucro prædicationum habere despicit, subditorum temporalia bona ambiendo non tollit. Et subdit Greg: Vnde bene quoq; illic subditur, & nouacula non ascendet super caput eius. Nouacula eum super caput ascendit, capillos radit. Quid enim per capillos, qui corpori superfluunt, nisi abundans terrenæ substantiæ copia designatur? & quid per nouaculam, nisi malorum pastorum cupiditas exprimitur? qua nouacula nati filij caput raditur, cum bona subditorum, per prædicatorum cupiditatem rapiuntur. Hinc tanquam deliquenti Iudeæ per prophetam dicitur. Pastores tu lupi vesperi, non relinquentes in mane Vespere namque pastores lupi fiunt, quia intenebrescente, atque decrescente in fine isto sęculo rapere subditorum, bona non metuunt. Qui an mane non relinquunt, quia dum temporalibus inhiant, inalbescente aduentu futuri iudicij danda sibi præmia non reseruant. Quos nimirum Michæas denotat dicens. Prophetæ qui seducunt populum meum, qui

In 1 Reg. cap. 1.

Mich. 3.

mordent

mordent dentibus suis, & prædicant pacem, & siquis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium. Prophetæ quippe populum domini seducunt, cum prædicatores reprobi auditorum suorum iudicia confundunt, & mordentes dentibus pacem nunciant, quia in appetitu suæ rapacitatis, dum terrena flagitiosorum dona suscipiunt, eis diuinæ indulgentiæ securitatem pollicentur. Super ipsos autem prælium sanctificant, qui in ore eorum aliquid non dant, quia iustos etiam districtis sententijs terrent, qui eis pro voto terrena non exhibent. Qui nimirum super caput filij nouaculam ponunt, dum prætextu charitatis, cœlestia prædicant, vt eis terrena per cupiditatem tollant. Hanc certè nouaculam, quod sancta Ecclesia, in prædam subditorum non habeat, Doctor egregius in semetipso ostendit dicens. Non quæro datum, sed quæro fructum, &c. Si ergo vniuersi religiosi datum quærimus, si contra ius terrenis inhiamus; proclametur nostra esse scandala, dicatur de nobis, quod facti sumus rete expansum super Thabor. Si vero nihil ostendi potest á quærentibus, aut petentibus à subsellijs, tabellionibus, vt scripturas, & instrumenta illicita exhibeant, & producant, satis iustificatur causa nostra & omnium religiosorum, & vincet si hac via à malis laicis adiudicatur. Qui enim cum Apostolo quoque dicunt. [Qui Euangelium annunciat de Euangelio viuat: ego autem non sum vsus

hac potestate [ & à subditis ( vt idē dicit Gregorius ) alimenta percipere sæpe recusant, quanta mundani contemptus sublimitate, *lucra turpia, & illicita dona,* despiciant, apertè manifestant.

## CAPVT XIV.

Tertium vero genus scādali, in quod etiam sancti viri impingunt, admittitur, & traducentes Religiosorum familias perstringuntur.

TERTIVM genus est scandali, ait Chrysologus, *Quod nostris generatur ex sensibus, cum fallimur oculis, cum decipimur auditu, capimur odore, & sapore vitiorum vnde hæc scandala amputari iubens, Dominus dixit. Si scandalizauerit te oculus tuus, aut mens tua abscinde, & proiice abs te.* Inde nos primi interdum scandalizati, alijs; (nobis quoque publicè peccantibus & si solum venialiter) propter status nostri eminentiam sumus offendiculo. Inde *scandalum Sanctos tentat, fatigat incautos, incautos deiicit, et confundit omnia, conturbat omnes,* vt bonum sit illi, qui scādalizat, si lapis molaris appendatur in collo eius, & proijciatur in mare, quàm scandali-

Chrysol. sup.

Idē Chry.

zet

zet vnum de pusillis istis. Benè lapis molaris assumitur, *Quia dum triticum terit, dum farinam fundit, apolline furfures dum secernit, panem pie laborantibus subministrat.* Benè ligatur in collo scandalizantis molaris lapis, *vt hoc illum ad mortem trahat, quando illum trahere debuisset ad vitam, quia sensus ad vitam datos mortis conuertit in scandalum, saltem factis suadendo, aliud videre, aliud audire, aliud sentire, aliud sapere, quam erat in Christo, quam erat in scientia salutari.* Huiusmodi in nobis scandala negare, ex hominibus non constare Religiones, est affirmare, quando culpæ non de montibus, nec de humo, sed de libero procedant arbitrio.

Homo autem qualiscunque sit, si tantum de se præsumeret, & suis, vt scandala non parere possint, assereret, non dicam stultus esset suum non videns errorem, sed satis certè arrogans esset, qui sibi audeat vendicare, quod humana conditio non recepit. Quia verò Ecclesiasticæ personæ tanquam lucernæ super candelabrũ reponuntur, hoc est fastigio, & virtutis culmine supra seculares efferuntur, omnia oculis subijciuntur, vt minimi quoq; defectus arguantur ex lumine: Inde est (vt etiam de Episcopis quoque scripsit Chrysostomus) quod, Si vel tantillum peccauerint, prima eorum peccata alijs magna videantur, neque enim Lib. 3. de Sacerd.

peccati magnitudine, sed peccantis potius dignitate peccatum plerique metiuntur, & subdit. At certe Episcopum, Religiosum, conuenit, & studio acri, & perpetua vitæ continentia, tanquam adamantinis armis circumseptum, quoquouersus circumspicere, necubi, nudo quis, aut neglecto loco deprehenso lætale vulnus afferat: circumsistunt enim cæteri parati, vt vulnerent, ac si liceat supplantent: neque ij exhostium, atque aduersariorum numero sed ex ijs, qui se amicos esse adsimulant. Episcoporum (adde, & Religiosorũ) animi tales eligantur, qualia olim in Babyloniæ fornace sanctorum illorum corpora diuinæ gratiæ largitas exhibuit. Neque enim ignis eius, qui Episcoporum (Religiosorum) animos depascit alimenta sunt, sarmentum, pix, stupa, sed alia quædam his longè inferiora: quando ne ignis quidem, sensibile illud elementum his substernitur, sed pro igne Episcopum (Religiosum) circumlambit voraciss. ma inuidiæ flamma, vndique se attollens, atque adeo vitam illius, ac mores altius subiens, scrutans, probans, quam ignis ille Babylonicus puerorum illorum corpora probauerit. Quoties igitur repererit, vel tamen aliquod stipulæ vestigium, celeriter admota partem illam debilem, ac vitiatam exurit: tum vero reliquam structuram, vt ea solaribus radijs radiantior lucidiorque fuerit, fumo illo inuoluit, totamque denigrat. Quandiu enim Sacerdotis vita pulchrè partibus ex omnibus congruens concinnaque fuerit, nullæ illi aduersariorum inuidiæ nocere possunt: qui simul atque, vel tantillum officij recti prætermiserit (vt par est nõnunquam prætermittere cum, qui homo quidem ipse sit, quique

quique humanæ vitæ plenum erroribus pelagus traiici, at) iam illum nihil ante actæ vitæ honestas adiuuat, ad incusantium voculas effugiendas; quinimo leue illud commissum, reliquæ illius vitæ luminibus officit: ac certè sic sacerdoti omnes iudices esse volunt, vt carne nequaquam composito, vt humanam naturam non sortito, verum vt Angelo, vt humanæ infirmitatis minime participi. Multiplicia ergo, & omnibus nota huiusmodi generis scandala, quæ asseruntur, quia religiosi homines, & multi sunt; multa quoque scandala ex infirmitate naturæ, ea damus, quod sint, (& de his potest intelligi, quod loquitur pia columba, nec est quod in siniſtrum sensum aliquis eius verba interpretetur) talia enim esse potuerunt. At dicet quis è factiosis, vel pusillis malis laicis, multiplicia, & orbi nota scandala non quæcunque, sed grauia sunt, quæ asseruntur à columba, tantumque esse illius, quæ deploratur, & plangitur. Audiat ille sic obijciens, Ecclesiæ Doctorē Chrysostomum. Qui meritò incusatur (ait Chrisostomus) facilè tulerit eum à quo incusatur: quippe cum accusator minus quam conscientia ipsa infestus sit, efficitur, vt quoties ab ea, quæ omnium molestissima est, deprehensi conuictiq; prius fuerimus, accusatores extraneos, tanquam mansuetiores, facilè postea patiamur, Porrò qui nullius sibi culpæ conscius est, dum iniustè accusatur, con-

Ibid. vers. finem.

tinuò

tinuò ad iram propensius fertur, ac non omnium facilè desponder: nisi idem sic, se prius animo comparauerit, præparaueritque, vt multorum insipientiam patientiſsimè ferat. Fieri enim vix potest, vt qui se temerè calumniam pati, atque inique damnari intelligit, non aliquo modo aduersus tantam hominum iniquitatem & absurditatem commoueatur. Qui vero etiam culpæ cõscius, vni notus, mille ignotus per omnes agentes, & locos contra ius examplatur ab aliquo, iustam causam habet cum moderamine inculpatæ tutelæ in pari gradu concertationis positus, obijcere, repellere, obijcientem propulsare, famam tueri, moresque consimiles, vel peiores (quos in se approbat obijciens, & alteri reprobare non debet) ostentare: vt sciat obijciens, quod in paritate peccati constitutus, vel maioribus criminibus detentus in eo, in quo alterum iudicat, seipsum condemnat, neue accusatus deformior appareat, ex iactato candore incusantis; quando cum communicatione in natura, est etiam communicatio in culpa. Audite detractores mali laici, qui contrarijs studijs religiones scinditis, grauia scandala obijcitis, ampliando, siniſtrè interpretando verba columbæ. Quod reprehendatis nonnullos ex tota communitate religiosorum

ordinum

ordinum nullo modo lædimur, sed lætamur, si tamen animaduersio ex charitate procedat, scientes quod de scandalis nostris non scandalizentur pij dicente Ioanne, Qui diligit fratrem suum in lumine manet, & scandalum in eo non est, & Dauid, Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Sed quod scandala in omnibus ordinibus esse, eaque nota dicatis, extendatis, diuulgetis inflatis buccis, vt loquar cum Chrysostomo, Vnde nam quæso, & à quo [id laice detractor religiosorum] edoctus es? nam si cœlitus id tibi innotuit, oraculum ipsum mihi indica, & tibi iam assentiar, sin id non potes, verum ex hominum opinione de hac re pronuncias, ab isto tandem errore animum liberabis: in ijs enim quæ ad nos spectant par est vt nostrum potius, quam aliorum sequamur iudicium: quę enim in homine nullus nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Eos qui quotidie iudicandis custodijs præsident contestamur, vt dicant in omnibus ordinibus. Quis illic sicarius? Quis illic manticularius? quis sacrilegus, aut corruptor, aut lauantium prædo, in ordinatis, & religiosis claustris, deprehensus est? Iam verò si hæc omnia elogia quæ afferuntur, propter paucos mulctatos de multis, & quasi singulis generum, omnium ordinum, falsa sunt: nescio an competere possint generibus singulorum, ac proinde, nec vera, nec

1. Io. 2.

Ps. 118.

Lib. 3 de Sacerd.

Ex Tertul. in Apologet. c. 45.

iusta esse potest ista causatio.

## CAPVT XV.

Multiplicatio palearum tritico immixta in area religionis, sanctorum virorum dignitatem, & famam non imminuit; cum adhuc non sit discussionis tempus: & patientia, & modestia Turturis ostenditur, linguas detrahentium laicorum sustinentis, & easdem modestè depellentis.

QVOD vero scandalorum origo asseratur ex multiplicitate religiosorum orta: non id simpliciter, sed ex conditione temporum, aut aliarum circumstantiarum accipiendum esse arbitror, cum multiplicatio quoque Ecclesiæ in magnam Ecclesiæ gloriam cedat, etiamsi in multiplicitate tritici, multiplicitatē palearum immisceri necesse sit. An gloriam nescis pro Ecclesiæ dilatatione
Is. 60. decantatam? *Germen plantationis meæ opus manus meæ ad glorificandum: minimus erit in mille, parvulus in gentem robustissimam*, vel vt septuaginta vertunt *in gentem magnam. Ego Dominus in tempore eius, subito fac*

*to faciam istud.* Cur laudatur assertum verum, & viuum membrum columbæ, quòd breui sic excreuit in gentem magnam, vt prouincias orbis terræ penè omnes complexum esse videatur? Non patrocinatur Isaiæ dictum ad multiplicitatem carpendam, qui ex multiplicitate Ecclesiæ gloriam occinuit. Quod enim legimus. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Septuaginta legunt. *Plurimã partem populi deduxisti in lætitiam.* Vtraq; tamen lectio vera est, & sacra; Septuaginta hunc sensum habent. Plurimam partem populi deduxisti ei ad Christum, ô pater. Lego enim scriptum, *totus mundus abit posteum.* Hieronymi vero iste sensus est, multiplicasti summè Deus gentem credentium, non multiplicasti lætitiam, quia dolebãt primitiæ credentium Iudæorum excludi Iudæos, recipi ad fidem gentes. Ex multiplicatione ergo religiosorum, sicut plurima lætitia est membrorum Christi, sic exigua, vel nulla est inuidorum, quod multiplicari videant tentoria Christi, & puerile peccatum esset si religiosi ad inuicem inuiderent de ista multiplicitate: in quod etiam inciderunt discipuli Ioannis, dolentes quod plures discipulos Esa. 9.

Christus faceret, quam Ioannes. Quod pariter scandalorum seges orta sit propter eos, qui à Deo non vocati in religionem admittuntur. Transeat. Sed quæ culpa Præpositorum, si semper animos fictos discernere nõ possunt? Qui, & si bona conscientia nihil se fingere dicant, quam plurimis id asseuerantibus verbis, sed tamen verbis adhuc latebras cordis penetrare non possunt, vt inidoneos ab idoneis valeant separare? Malè se haberet religio, si eo deueniendum esset, vt ex cognitione intentionis hic esset acceptandus, ille respuendus, discatur ex Gregorio in E-

hom. 38. uang. quod quousq; hic viuimus necesse est, vt vitam præsentis sæculi permixti peragamus, tunc autẽ discernimur cum peruenimus: boni enim soli nusquam sunt nisi in cælo, mali soli nusquam sunt nisi in inferno. Hæc autem vita, quæ inter cœlum, & infernum est, sicut in medio subsistit, ita vtrarumque partium ciues communiter recipit; quos tamen sancta Ecclesia, & nunc indiscretè suscipit, & postmodum in egressione discernet. A quibus malis si tanquam cadaueribus, & corruptionibus fetor ascendebat, sepulturę perpetuo demandari pręstasset, ne per ora omnium gentium putrida aura, famaque scandalorum diffunderetur. Honorificentiori tumulo sepelienda erant, sed quo-

niam

niam in ore eorum, de quibus dicitur, *Sepulchrum patens est guttur eorum linguis suis dolosè agebant*: tumulantur, horum ora oppilanda sunt, vt simus bonus odor Christi in omni loco. Dolemus, tamen quod pauci sint quibusdam odor mortis in mortem sicuti gaudemus, quod sint alij alijs odor vitæ in vitam. Quod si cōcedant factiosi, quod vndique à quibuscunque plangentium fluant aromata, à corruptione præseruātia. Impetrare nobis quæso, quæ superstant, vt putridorum corpora pie vngantur in sepulturam. Si vero cum odoribus, & aromatibus myrrhæ, thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, pix, sulfur admiscētur saltem in aliquo lugentium (humanum quid dico propter infirmitatem quoque carnis nostrę) aut inter immarcescibilia corpora, cadauera aliqua etiam inuisuntur: benigne illis de myrrha probatissima, & vestimentis nostris à domibus eburneis elargimur, vt in eis corrigatis, quod in nobis corrigendum esse, tam anxiè exoptatis: alioquin, si non vtrinque est causa commiserationis, & liberalitatis, sicut communis esse debet planctus, & luctus; sed illis solis, vt dicit, is relicta est resina in Galaad, ad cu-

randas contritiones noſtras; iam priuilegium curationis noſtræ poſſumus expetere à
Pſ. 146. vobis, quod illius ſolius eſt, *qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*;
Pſ. 67. vnde ſequitur, *Deus noſter Deus ſaluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis*. Abſit autem ex hoc, vt gladios quos aduerſus inimicos ſanctæ Eccleſiæ
Rom. 12. acuimus, contra filios Eccleſiæ dirigamus, *non noſmetipſos defendentes cariſsimi*, ait diuinus Paulus Apoſtol. &c. Scutum patientiæ expandimus ad ſuſtinendas reprehenſiones, exhibentes nos ſicut Dei miniſtros in multa patientia; non gladium vibramus; quando arcum contriuit, & confregit arma, & ſcuta combuſsit igni. ſolum aduerſus furioſorum linguas, malorum ſcilicet laicorum, qui ſimplici corde prolata verba columbæ extendũt, & ampliant, defenſionem paramus.

Licitum autem eſſe clauum clauo retundere pro iuſta defenſione religionum ex S. Thoma ſcribente contra oppugnatores ordinum didicimus; ratioq; id edocet, & ſuadet: mores, vꝫ quos in ſe quiſque approbat, alteri reprobare non debere. Hinc vel ipſa Gentilitas ſuos magiſtros philoſophos buccis inflatis multa ſubtiliter de virtijs, & virtutibus

tibus differentes, parum, & nihil operantes reijcere poterat, vt superbos alienorum defectuum censores, propriorum inemendatores. Audiant mali laici detractores, Lactãtium de Philosophis loquentem: [Quis est tandem, qui non videat eos homines virtutis, quam ipsi negent non esse doctores? Nam si quis mores eorum diligenter inquirat, inueniet iracundos, cupidos, libidinosos, arrogantes, proteruos, & sub obtentu sapientiæ sua vitia celantes, domi facientes ea quę in scholis arguissent. fortasse mẽtior accusandi gratia: nõne id ipsum Tullius, & fatetur, & queritur? Quotus, inquit, quisq; Philosophorum inuenitur, qui sit ita moratus, ita animo, & vita constitutus, vt ratio postulet, qui disciplinam veram, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet, qui obtemperet ipse sibi, & decretis pareat suis? Videre liceat alios tanta leuitate, & iactatione, vt his fuerit non didicisse melius, alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum seruos, vt cum eorum vita, & vitijs mirabiliter pugnet oratio. Neposque Cornelius ad eundem Ciceronem, ita scribit. Tantum abest, vt ego magistrum esse putem vitæ Philoso-

Lib. 5. de falsa. sup. c. 15.

phiam

phiam, beatæque vitæ perfectricem, vt nullis magis existimem opus esse magistris viuendi, quam plerisque, qui in ea disputanda versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore, & continentia præcipiant argutissimè, eosdem in omnium libidinũ cupiditatibus viuere. Ita Seneca in exhortationibus, plerique, inquit, Philosophorum, tales sunt diserti in conuitium suum, quos si audias in auaritiam, in libidinem in ambitionem perorantes, iudicium sui putes professos. Adeo redundant ad ipsos maledicta in publicum missa, quos nos non aliter intueri decet, quam medicos quorum tituli remedia habent, pixides venena. Quorum vero, nec pudor vitiorum tenet, sed patrocinia turpitudini suæ fingunt, vt etiam honestè peccare videantur. Faciet sapiens (inquit idem Seneca) etiam, quæ non probabit, vt etiam ad maiora transitum inueniat, nec relinquet bonos mores, sed tẽpori aptabit, vt quib⁹ alij vtũtur in gloriã, aut voluptates vtatur agẽdi rei causa [deinde paulo post]. Omnia quę luxurioſi faciũt, quæquę imperiti, faciet, & sapiens, sed non eodem modo, eodẽq;

propo-

propoſito. Atqui nihil intereſt, quo animo facias, quod feciſſe vitioſum eſt, quia facta cernuntur, animus non videtur. ] Sicut parum refert cautè, & ſi non caſtè patrare opera; cum, & ſi oculos humanos effugiant, effugere non poſſunt deſuper inſpectorem. Ergo ſi in philoſophis gentilibus iuſta cauſa fuit retundere reprehenſores illos prauos operatores; ad Chriſtianam modeſtiam, & charitatem ſpectat; non dico ſolum cautè, ſed publicè peccantes quoſdam malos laicos, qui ponunt in cœlum os ſuum, retundere, & implere facies eorum ignominia, vt blaſphemare deſinant. Res inconcina eſt in pari cauſa conſtitutos reprehendentes, & reprehenſos, ad inuicem, vel ſibi compati, vel inuicem arguere: albugine laborans, & lippitudinem in alio peius reprehendit, vel vt diſcamus & dicamus ex Euangelio: habens trabē in oculo fratris eruendam, iuſtè audire poteſt. Eijce primũ trabem de oculo tuo, & tunc eijce feſtucã de oculo fratris tui. Quod ſi gentilium exempla non mouent, vel ſaltem moueant factioſos detractores noſtrorũ documenta. Audi Chryſologum, verba Domini Luc. 17. attendite vobis, ſic exponen-

Serm. 39. tem: Ille attendit sibi, qui non alienis actibus importunus, imprudens, curiosus intendit. Attendite, inquit, vobis. Vagus oculus, lasciuus intuitus, improbus aspectus, suas non respicit ad ruinas, alienos currit, & decurrit ad lapsus, sua cæcus ad crimina, ad aliena errata perlucet; malorum suorum nescius, alienorum est accusator, & testis; suum tepidus ad reatum, ad alterius, & innocentis flammatur, & excandescit examen; & ne multis, sicuti dixit Dominus, oculus in se trabem non videns videt in aliquo festucam. Et postea. Attendite, inquit, vobis, non dixit tibi quia quicquid alij attenderint homo attendit sibi, & quantum videbit ipse alteri, videbit alter ipsi, sicut ex sequentibus eluceſcit. Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum. Scimus qui perfectionem profitentur contumelias potius perferre debere, quam etiam iusta defensione propulsare quin, & percutienti vnam maxillã, præbere: quoque, & alteram iuxta Christi documentum. Verum qui patientiæ exemplum se dedit, Doctorem quoq; mundi se demonstrauit. Docuerat discipulos percutiẽti vnam maxillam, præbere, & alteram; sed id pro loco, & tempore, non in omni euentu, & negotio. Vnde secundum præparationem animi illud dictum intelligendum ostendit Augustinus. Cæterum ad ostendandam auctoritatem iustorum supra suos persecutores

Luc 6.

Lib. 1. ser. Dom. in mõtc. 39.

(adde

(adde, & calumniatores & traductores, vel obloquutores malos laicos, terminos charitatis excedentes) arguit percussorem coram Pontifice, dicens [si malè loquutus sum] si habes quæ nunc prolata sunt reprehendere ostende, quod male dixerim; si autem benè *Cur me cædis? quid furis?* vt exponit Theophilactus. Caiet. 1ee. 1. q. 3.

## CAPVT VLT.

Cur communes sint culpæ, sine quibus non transigitur humana mortalitas, non debet fieri distinctio deploratium, & deploratorum; quando etiam sanctis ne dum humiliter, sed & veraciter dicere competat Dimitte nobis debita nostra. Propterea non debet vnus aduersus alterum inflari, vt le mediatorem pro illo constituat.

EX eo autem verbo, quod membrum viuum columbæ ad porrigendas preces excitatur, vt conuertat corda patrum in filios, & relaxatos filios, in prudentiam spiri-

tûalem, & feruorem cordis patrum iuſtorum] ad gratias agendas prouocamur, quod pij noſtrorum ſint memores in orationis ſuis. Veruntamen ſi noſtrorum naturam miſerati fragilem, ipſi quoque iuncti peccatoribus (quibus etiam, qui in ſimilitudinem carnis peccati miſſus, peccatoribus appropinquare non eſt dignatus) ſimiles preces à nobis exoptẽt ad primæuum feruorem ſui inſtituti conſeruandum, vel ad eundem, ſi inuenient in aliquo remiſſum, accedendum, non eſt cur poſſint obijcere puſilli, q; illi ſe pro nobis conſtituere videantur mediatores, & aduocati. Auguſtinum enim legunt reclamantem, atq; dicentem, Videte (ait S. Doctor) ipſum Ioannem ſeruantem humilitatem, certe vir iuſtus erat, & magnus qui de pectore Domini diuinitatem ructauit, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, ille talis vir non dixit; Aduocatum habetis apud Patrem, ſed ſi quis peccauerit Aduocatum, inquit, habemus: non dixit habetis, nec me habetis dixit, nec ipſum Chriſtum habetis dixit, ſed, & Chriſtum poſuit, non ſe, & habemus dixit, non habetis. Maluit ſe ponere in numero peccatorum, vt habere aduocatum, quam ponere ſe pro Chriſto aduocatum, & inueniri inter damnandos ſuperbos. Fratres Ieſum Chriſtum iuſtum ipſum habemus. Aduocatum ad Patrem, ipſe propitiatio eſt peccatorum noſtrorum. Hoc qui tenuit ſchiſma

Tract. 1. in ep. Ioan

sma non fecit, vnde enim facta sunt schismata? cum dicunt homines, nos iusti sumus, cum dicunt homines nos sanctificamus immundos, nos sanctificamus, nos petimus, nos impetramus. Ioannes quid dixit? & si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. Sed dicit aliquis, ergo sancti non petunt pro nobis? Ergo Episcopi, vel Præpositi non petunt pro populo? Sed attendite scripturas, & videte, quia & Præpositi commendant se populo, nam Apostolus dicit plebi, orantes simul, & pro nobis: orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo, oramus pro vobis fratres, sed & vos orate pro nobis, inuicem pro se omnia membra orẽt, caput pro omnibus interpellet. Rogemus ergo inuicem, vt saluemur; communis sit omnium oratio, quibus aliqua saltem communis est culpa: nam & sanctis competit etiam dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & propter orationes nostras, nobis inuicem quoque debita dimittere, & relaxare debemus, quæ vtique quò frequentiores eò sanctiores esse debent. Gemat ergo hinc columba, gemat inde turtur, illud resonet; *Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem.*

Sed tandem trophæa reportet laus iustæ libertatis in reprehendendo, conabimur, vt sit in nobis sanctæ humilitatis virtus in sustinẽdo. Columbam non dubito orare, vt inter

ambos veritas superet; non. n. suam gloriam quærit, sed Christi. Cum illa vicerit, ego quoque vincam, si meos lapsus intellexero, è contrario autem me vincente, ipsa ex humili confessione superabit, pace de cordibus omnium triumphante. Et quia ab initio me illi alligaui fortiter vinculo charitatis, illius iram sine felle sustinebo, factiosorum vero ictus elidam, & cum ijsdem terminos charitatis excedentibus, hoc est, *Cum turbatis ero pacificus, & si quinastentur nos conturbantibus, quoque dabo locum iræ, ne Diabolo dem* In Paralip. lib. etiam legimus, quod filij Israel ad pugnandum processerint mente pacifica, inter ipsos quoque gladios, & effusiones sanguinis non suam, sed pacis victoriam cogitantes. Sed relicto tristitiæ ad festiua procedâmus.

Bernard. Epist. 105

# VOX TVRTVRIS.

# PARS SECVNDA.

## CAPVT I.

### Turturis cantus amœnitatem Religionum SS. Benedicti, Dominici, & Franciſci &c. enuncians, audiendus proponitur.



AMOENITATEM quoque veris florentium adhuc religionum Benedicti, Dominici, & Franciſci, & omnium ordinum aliorum Sanctorum gemebunda Turtur pariter canendo enunciat. Lætatur, & conuentũ facit, quæ in triſtitia fuit, repleta ab vberibus conſolationis Dei. Quid canit? [ficus protulit groſſos ſuos: vineæ florentes dederunt odorem ſuum] Protulit inquam groſſos ſuos, quia deploratorum cœtus, etiam temporibus noſtris infinitos prope modum Martyres ſuos ad æternam patri-



am

am præmisit. Post quos vineæ florentes odorem suum dederunt, quia per vniuersum mundum exempla bonorum operum excreuerunt. Omnes autem istæ vineæ, & si situ diuersæ, atque habitu distinctæ, dum in idipsum tendunt, dum vno desiderio Christi se inuicem nutriunt, dum habentes cor vnum, & animam vnam in charitate se vniunt, ex multis vnum corpus efficiunt, vnam vineam formant, illam de qua scribitur. *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.* Hinc indiscriminatim propria existimat, quæ omnibus religiosis sunt communia, sicut, & propria communia facit. O vineam, Euangelij vomere orbe toto diffusam, clausam stimulis disciplinæ, ab omni pessimo gramine Apostolico labore purgatam, fidelium plantarijs, lilijs Virginum, rosis Martyrum, Confessorum viriditate amænam, fragrantem odoribus sempiternis. Eia *surgamus ad vineas*, videamus si floruit vinea, *si flores fructus parturiunt.*

(Greg. in Cant.)

(Isa. 9.)

## CAPVT II.

### De florenti vinea priscorum, Monachorum, in Aegypto plantata à Magno

Magno illo Antonio.

VINEA illa tibi primo occurrit (vt modo alias etiam ab ipsis Apostolorum tẽporibus exortas, inter quas à nonnullis Carmelitæ, & regulares Clerici recensentur, de quibus infra, omittamus) famosa, & per omnes gentes diffamata in Ægypto, plantata à magno illo Antonio opportunè à diuina prouidentia destinato, cum Arriana lues persuaserat orientem. In Ipsa ad capiendas Vulpes, quæ moliuntur vineas, fixa sunt pastorum tabernacula plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium, vt, si quis, vt scribit Chrysostomus, ad Aegypti veniat solitudines (Paradiso quouis omnem illam videbit Eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus. Pallebant si quidem ora ieiunijs, macies corpus attenuabat, dies cum noctibus iungebat oratio, lachrymæ peccata abluebant, aduersus instructas, dæmonum, & vitiorum acies omnes virtutum copias disponebant, vt quicunque inuias illas solitudines, aut latentes Eremi latebras penetral-

netraſſent, ſolas vineæ iſtius emiſsiones, hoc eſt exteriora quæ oculis carnis videri poterãt exempla, Paradiſum indicare proſpexiſſent. Quid ſi pomorum fructus, qui intrinſecus latebant in corde videre licuiſſet?

Adeò autem Antonij palmes excreuit, vt nedum in Paleſtinam, Syriam, Aſiam minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Meſopotamiam, Boreales regiones, ſed in Baſſos, & Dacos extenderetur. Inde quoque tanquam, fœcundæ propagines pullularunt, Hilarion, Macharius, Ioannes, Ammon, Pachomius, in quibus ſunt innouata antiqua miracula Prophætarum, & Apoſtolorum. Horum omnium Sanctorum filij, ſicut palmites adeo creuerunt, vt & partes populorum effici mererentur: nam ex Athanaſio ij Cœnobitæ populis præficiebãtur aduerſus Arrianos Hæreticos, & Meletianos Schiſmaticos, quos cæteris moribus, & vita præſtare noſcebant. Quorum nonnulli, vt ora noſtra viuido fructus ſui ſapore condirent; ipſi quoque vt botri vineæ, ſub torcularibus premi, & pro Chriſto pati non formidarunt. Quare ne dum ficus protulit groſ-

Epiſt. ad Dracont.

Idem apol. pro fuga ſua,

ſos ſu-

sos suos, dum Ægyptus, & Thebaida martyres præmisit ad regnum, sed, & vineæ flo rentes dederunt odorem suum; quando (vt dicit Bernardus) adhuc in cordibus fidelium effusi eius sanguinis recenti memoria hanc vitam eligentibus, paupertatem spiritus sectantibus in spiritualibus exercitijs, altero in alterum zelantibus, deserta repleta sunt. vnde & quam plures sanctæ conuersationis huius reipublicæ consulares viros, egregia nomina in ciuitate Dei nobiles, & triumphales titulos obtinuerunt; de victoria huius sæculi, & principis huius mundi, & corporis sui, de cultu animi, & Domini DEI sui.

Ad fratres de monte Dei c. 2.

O vineam illustrem, cui flos opus, odor opinio est, fructus martyrium, fructus illius vitis de qua legimus. Ego sum vitis &c. & illius vuæ quæ torculari passionis expressa mustum precioſum rubens, & vinum meraciſsimum effudit, vt Christi Domini, & martyrum cruore, Ecclesiæ torcularia redundarent. Libet pausare in hac vite, vt rursus auidius iter arripiamus.

## CAPVT III.

### De vinea Sancti Basilii, qui monasticam vitam in meliorem formam redegit.

VINEAM aliam ad instar Ægiptiæ plantauit Basilius, dum vt dicit Nazianzenus *Pietatis gymnasia & Monasteria extruxit*, quæ per vniuersam Cappadociam, Pontum, minorem Armeniam, Paphlagoniam, longe, lateq; propagauit, & homines procul à communi viuendi ratione segregatos in compositum ordinem, redegit, & salutaribus præceptis instituit, vt Gregorius tertius decimus Apostolicis litteris testatur. Quamobrem, (vt subdit Nazianzenus) Monachorum Cœnobia haud procul abijs, qui in hominum societate viuũt, ædificari iussit, nec oratio seiunxit, vt ex propinquitate cum opus charitatis exposceret, adesse possent, distiti alioquin propriis terminis, ne quis eorum interrumpi per multitudinem posset, nec ipsi monachi, actionis merito, quod ex impendenda alijs charitate existeret priuarentur: neque rursus eorum actio per tumultus inutilis efficeretur, & alter alterum hoc modo iuuare posset, vt monachorum vita, per conuersationem eorum, qui in conuentu viuunt fructuosa fieret, & ipsi a mo-

Orõnei in laudem Basilii.

In Bull. tom. 2.

& monachis quietem, sapientiam, contemplationemque discerent. Horum munus nunc sacras euoluere paginas, nunc fidei mysteria religiosè rimari, nunc Christi Domini recogitare labores, & cruciatus; nunc in extinguibilem ignem, & immortalem vermem attendere, nunc ad beatorum gloriam mentis aciem dirigendo præ dulcedine Dei, & amore Domus eius, in dulcissimas lacrymas solui, nunc de salute trepidantes, & anxij pallere, trepidare, artubus contremiscere; nihil illis disciplinæ regulari, & seueritate iucundius, nihil iucunditate seuerius, nihil suauitate tristius, nihil tristitia suauius; sic pallor genas tingebat, vt cum abstinentiam indicaret, ostentationem effugaret: sermo illis silens; & silentium loquax: idem semper habitus, & abiectus, hoc vno seruato cætera omnia proculcabant, tales vidisses, quales ipsemet Basilius descripsit, nempe pietatis studiosos, qui mundo renunciauerint, & vniuersis sæculi istius curis, quas dominus comparat spinis sterilitatem verbi impedientibus; mortificationem Iesu in corpore circumferentes, ac cruce quisque accepta Deum sequentes. Quod autem recepit fertilis ista terra semen bonum, centesimo reddidit incremento: talem enim ordinem S. Basilius instituit tales

Epist. ad Neocæsar.

Supra, operarios, qui vt Gregorius XIII. Summus Pontifex testatur perpetua futurorum temporum successione verbo, & opere à se instructi Deum confiterentur Catholicęque Ecclesiæ ornamento essent, atque in dubijs rebus adiumento, qui vitæ sanctitate, & doctrina insignes toto terrarum orbe, maxime vero in Asia, Palæstina, Thracia, Græcia, & Italia multis sæculis floruerunt. Nec floruit solum virtutum odoribus, Basiliana vinea, sed & vino quoque torcularia redundarunt, cum sub Valentis persecutione, omnis ætas, sexus, conditio, clericorum maxime, & monachorum pro Christo pati meruerũt. Vnde vidisses in tali conflicta. vt idem dicit Nazianzenus, *Deflagrantes impios, & nefarios belli duces non Persas superantes, non Scythas in ditiorem redigentes, non aliam quandam Barbaram gentem repurgantes, sed Ecclesiis bellum inferentes, in altaribus saltitantes, & inuenta sacrificia, hominum & victimarum cruore fœdantes, & Virginum pudorem per summam contumeliam violantes.* Mitto nũc recensere Anastasiũ Persam illustrem martyrẽ ex D. Basilij instituto monachum, qui à Chosroe iuniore Persarum Rege sub imperio Heraclij martyrio fidem obsignauit. Innumeros alios martyres prætereo, cum ipsa rerum copia etiam scribentem

Supra,

tem defatiget, rerumque diuersitas mentem confundat, & antiquata, & vulgata argumenta, quãtumuis noua narratione refricentur, legentem fastidiant.

## CAPVT IV.

### De duplici vinea manu Sancti Augustini consita, vna monachorum, altera Clericorum Regularium.

EAMVS ad vineas meridianas: Duæ mox ab Augustino diuinitus plantatæ vineæ in Africa assurgunt, Monachorum vna, Clericorum altera, illam ad contemplationem, istam etiam ad actionem ordinauit.

Hæc est vinea (nempe monachorum ex eodem Augustino, si tamen eius libri auctor est) [illa fertilis (ait) quam plantaui anno ætatis meæ trigesimo tertio velut seruus Dei Noe, quam cupimus tota mente, Deo Duce, sanctis exemplis, & sanctorum documentis ornare, & ornatam taliter custodire, vt à nemine transeũtium possit vindemiari, nec aper de sylua possit eam exterminare, nec alieni

Ad frēs in Erc. c. 40.

lieni posſint diripere labores eius, & fructus, Hæc eſt illa vinea, quam plantaui velut paterfamilias, quam ſepe paupertatis, charitatis, & obedientiæ, & caſtitatis, vt à Simpliciano cariſsimo viro didici, circũdedi, ad quam velut paterfamilias exiens primo mane vos conduxi in operarios, vt afferatis fructum quinquageſimum, ſexageſimum, ac centeſimum, ſecundum abundantiam gloriæ plenitudinis Chriſti. Hæc eſt illa religio immaculata, cuius ſanctitas per totum terrarum orbem diuulgatur, quorum conuerſatio à cunctis miratur, quorum vita non ſolum à Chriſtianis, ſed à Iudæis, & Paganis, potius Angelica, quam humana reputatur. Hæc eſt illa amœniſsima Paradiſus, quam Deus à principio plantauerat, in qua poſuit per gratiam, & donum matris meæ hominem, vt operaretur virtutem patientiæ, & eruditionem doctrinæ, corporis caſtitatem, aſsiduitatem precum, confeſsionem delictorum, abundantiam lachrymarum. Hęc eſt illa Paradiſus, de qua exeunt flumina ſapientiæ, & veritatis, continentiæ, & caſtitatis, in qua Deus delectatur, ſicut in omnibus diuitijs.] Et poſtea. [Hæc eſt vinea ſerui Dei Noe in medio

medio Paradiſi ſituata, Chriſti ſanguine redempta, & irrigata, quam Sarabaitarum princeps, Hæreticorum paſtores, velut aper de ſylua tempore illorum magnorum Monachorum, & Eremitarum Pauli videlicet, & Antonij deſtruere quæſierunt: cuius ſepem comburere, cuius gyrum lapideum ſupplantare, cuius fructus, vites, & flores incidere, in cuius planicie virtutum, zizania ſeminare, & replere, quæſiierunt, ſed Dei virtute circũdata, minimè potuerunt. Ad hanc autem vineam fratres mei vos conduxi, & operarios vos feci meos, vt laborantes vſque in finem dignum fructum recipiatis in tempore ſuo: adhuc non me elegiſtis, ſed ego elegi vos.] De alia vinea Clericorum, ſeu Canonicorum regularium quam non primus ipſe quidem inſtituit, ſed verius ab Apoſtolis cultam ad eandem normam reſtituit, loquens, ſubdit [ſed poſt annum factus ſum Epiſcopus, non tamen vos relinquens, ſed compulſus inter gentes habitare: monaſterium presbyterorum, & clericorum ordinaui, intraui domum Epiſcopi, vt communiter cum eis viuerem, ſicut, & nobiſcum antea vixeramus.] Hæc ex Auguſtino. Si tamen Auguſtini

ſtini proles ſermones iſti dicendi ſint. Spu-
To. 4. ann. 362. & 385. rios enim eſſe oſtendit Baro. & alij doctiſ-
ſimi viri, vt & certè ſtylus, phraſis, & alia huiuſmodi non eſſe Auguſtini demonſtrant. Sat nobis eſt has vineas Canonicorum, & Monachorum ſub Auguſtini regula militare, & ad eundem Patrem ſuam originem referre.

Ad has vineas (an autem clericorum, vel monachorum controuerſum eſt) pertinent botri illi, qui cum Auguſtino vixerunt, Alipius, Eutropius, Paulinus, Profidius, Euodius, Fulgentius, Hilarius, Vincētius, Proſper, &c. Vtraſque vineas, Iuſtus Orgelitanus laudauit ea verba explicans. *Vineæ florentes dederunt odorem ſuum*, dicit. *Congregationes Clericorum, Monachorum quoque, ac Virginum in Eccleſia profecerunt, & per bonam famam, & conuerſationem inſonuerunt.* In Cant. Vnde quæſo tot ordinum propagines prodierunt? ab hac vinea. nam præter Eremitas, & Canonicos regulares, ordo Præmoſtratenſis, Prædicatorum, Mercedis, Seruorum, Ieſuatorum. B. Ioannis Columbini, Eremitarum Sancti Hieronymi, Sanctæ Trinitatis, Sancti Georgij in Alga, Ioannis Dei, & alij ordines ſub huius Regulæ inſtitutis Deo famulantur, reddentes vota altiſſimo, quæ di-

xerũ

xerunt labia sua.

Nec tantum in pace lilia confessorum, sed & in bello martyrum rosæ in hac vinea germinarunt. Nam à furoribus Donatistarum presbyteri, qui monachis congregandis, vel clericis primitus constituti sunt, expoliati, debilitati, excœcati, occisi, quorum passiones inutiles, & steriles non fuerunt; multiplicatos enim fructus reddiderunt. Quare sub Hunnerico Rege, & in persecutione Vuandalica, Liberatus, Rogatus, Septimus, Bonifacius, Seruius, Rusticus, Maximus pro confessione fidei, sanguine vineam istam (vt alios prætereamus) fœcundarunt.

At vnde monasticæ vitæ cultus, & propagatio? ex hac vinea. Illud enim institutum, quod ex Italia Augustinus patrium solum repetens in Africam inuexit, longè, lateq; fœcunda propagatione dilatatum, breuique tempore sanctis sacerdotibus, & monasterijs est repletum. Et ex eadem plantatione, nedum in Africa, sed in plerisque Ecclesijs occidentis fructu vberrimo locupletarunt Ecclesiam, & vbique monasteriorum greges, & vbera deserta Eremi, disciplinæ claustralis suaueolentiam spirarunt.

Ex eadem vinea ab Augustino monachi non pauci ad Episcopatus assumpti; alij ad prædicandum Euangelium destinati; quorum magna pars cùm in publicis cõgressibus, tum in concilijs Hæreticos debellauit. Ex eodem gremio confessores innumeri effluxerunt, qui etsi martyrij sanguine fidem hoc tempore nõ oppignorarint, pro eadem contumelias pati digni sunt habiti. Si quidem Saluiano scribente. In monachis, ideſt, sanctis Dei, Aphorum probatur odium; quia ridebant scilicet, quia maledicebant, quia insectabantur, quia detestabantur, quia omnia in illos penè fecerunt, quæ in Saluatorem nostrum, Iudæorum impietas fecit, antequam ad effusionem sanguinis peruenirent. Et subdit. Intra Africæ ciuitates, & maxime intra Carthaginis muros, palliatum, & pallidum, & recisis comarum fluentium iubis, ad cutem tensum, videre tam fidelis ille populus, quàm infidelis, sine conuitio, atque execratione, vix poterat.

Lib. 8. de prou.

E vestigio insequuntur Confessores illi quos certo numero definire non possis, qui incruento martyrio se ipsos hostiam viuam exhibuerunt, inter quos tanquam sydus fulgentissimum emicat Sanctus Nicolaus Tolentinas, abstinentiæ, & sanctitatis prodigiosæ. Scriptores enumerem? sint tibi satis pro omnibus Ægidius Columna S. Thomæ discipulus, &

lus, & auditor; Gregorius Ariminensis; Thomas Argentinas; Augustinus Triumphus, in scholastica disciplina athletæ exercitatissimi, innumerabilem in omnium facultatum genere scriptorum turbam satis indicabunt antiqui, & nuperi de scriptoribus Ecclesiasticis tractatores. Quod si aciē intēdere voles ad viros Cardinea, & Episcopali dignitate fulgētes, fulgentissima sydera habes in quos oculos figas. Ex eodem Augustini palmite gemmantes Virgines, quibus etiam regulas prælcripsit, efflorverunt; Perpetua Cœnobij præfecta; duæ Augustini sorores Basilica, & Felicitas signorum gloria illustres; Melena Africana, Sancti Alipij discipula, monasterij Thagastensis clauum tenens. Maximam, Genouefam, Auream, cum innumera aliarum Virginum turba prætereo. Vnde merito Alexander Papa protulit, quod sacrum Eremitarum ordinem, Glorioſus ipse Doctor egregius veluti radians sydus infirmamento Ecclesiæ ad gloriosam omnipotentis Dei laudem, & sacrosanctam illustrandam Ecclesiam, schismaticorum eſtirpandas hæreses, ac in fidelium confutandos errores, Christianæ quoque religionis propagationem, & Christi fidelium, saluādas animas, in agro dominico plātauit opportunè

Sabell. Eneād 7. li. 9. p. 2.

Amb. Tarent. in tēplo Aug. c. 13. in Vin. Aug.

In Bulla data Romæ 1496. apud Mariquez lib. de orig. relig. S. Aug.

Canonicorum vero regularium vinea ab

Volaterr.

lib. 21. Antropol. Ticin. in pro pug. Tarēsin in suo templo.

Augustino plantata, quam Gelasius Papa Augustini discipulus in Lateranensi Ecclesia magis propagauit, & coluit, quantum floruerit à scriptoribus addisces. Inter viros sanctitate illustres Canonicos Lateranenses, in sanctorum numerum relatos, recensentur S. Leo I. S. Gelasius. S. Frigdianus Episcopus. S. Sergius I. S. Leo IV. S. Emirtius Episcopus. S. Guarinus Canonicus. S. Aldourandus Episcopus. S. Vbaldus Episcopus. S. Antonius Episcopus. De alijs vero dicit Ioannes de Nigraualle Apostol. Bibliothec. epilog. chron. 13. cap. 18. quod Canonici ordinis, immensus propemodum sanctorum, tam martyrum, quam confessorum, ex ipso ordine numerus recesetur. Et quantum pro certo numero summari possunt, vt refert Anastasius Cardinalis, & S. R. E. Bibliothecarius in cathalogo quem edidit ad Carolum 2. Gallorum Imperato, reperirentur hinc vndecim millia centum. & vltra. Et triginta sex Romanos Pontifices, Cardinales trecētos quoque enumerat, Episcopos innumerabiles. Inter Pontifices recensentur. S. Leo. I. & III. & IV. S. Felix III. S. Gelasius I. de quibus, & omnibus alijs consule Ciacconum de vit. Rom. Pontif. & Gabrielem Pennotum lib. 4

Pennotus lib. 4. c 50 hist. Lat.

Hist.

Hist. tripartit. ordinis Canonic. Lateran. c. 52. Sed & litterarum studijs scriptisque plurimi inter eos incumbentes nomen suum, suique instituti ad populos transmiserunt, Hugo, Riccardus patres venerabiles; Gabriel Biel scholasticus, Christianus Messers Cronographus, Georgius Matropedius Philosophus, alijque quos Autbertus Miræus in suo cronico cum laude commemorat, & nouissimè magna diligentia & eruditione P. D. Gabriel Pennotus in sua eruditissima, & nunquam satis laudata hist. Lateranensi lib. 3. c. 54. ad quos lectorem transmitto.

## CAPVT V.

### De illustri vinea, quam Sanctus Benedictus in Occidentis partibus plantauit.

AD vineam à Benedicto in Occidentis partibus plantatam, Ostrogothis Italiam occupantibus, descendamus. Hæc adeo amœna est, & frondibus referta, vt & erratici palmitum lapsus nexibus pendulis per arũdines baiulas repant, & viteam porticum fron-

Mutuata ex Cyp. epist. ad. Donatum.

frondea tecta effecerint. Ita matureſcit in fructus, vt velut indulgente vindemia ſolutus animus in quietem vineam iſtam reſpiciens, ſolemnes, ac ſtatas anni fatigantis inducias ſortiatur. Vnde non ſolum animæ ſenſus ad leues auras blandientis autumni ex hortorum facie amęna mulcentur, ſed in arbores, & in vites oculos intendentes, oblectante proſpectu oculos amœnamus.

Pendent hic viginti quatuor Romanorum Pontificum Thiaræ; ibi Cardinalium Galera ducenta; paſsim Archiepiſcoporum, & Epiſcoporũm mille, & ducentę infulæ; ſcreptra, & coronæ inſuper inuiſuntur: nam, & Lotharius Imperator Auguſtus, & diuerſarũ nationum decem, & ſeptem reges, Benedicti regulam profeſsi, perfectionis fructum in tempore ſuo reportarunt. Codices verò innumeri à viris præſtantiſsimis editi, huius vineæ fructus recenſentur, vt potius ſtellas, quã illos dinumerare quis poſsit.

Quod botri martyrij torculari expreſsi? tot certe, vt ſponſi cella vinaria ſanguine filiorum Benedicti abundè repleatur. Quot ſanctimonia præſtantiſsimi viri pullularunt? tot ſanè, vt præter illos notiſsimos, & famigeratiſ-

geratiſsimos Sanctos Placidum cum ſocijs, Maurum, Gregorium, re, & nomine magnum, Anſelmum, Rupertum, & innumeros, vt quoquò te conuertas admiratione defixus tenearis: vt illud impleatur in Benedicti familia, *ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea*, vel vt alij legunt, *diadema meum*; penè enim quod capita Benedictinorum; tot diademata ſunt, quæ, & illa coronant. Huic vineæ, vt agriculturæ diuinæ artem addiſcerent (innumeros recenſere præteriens) ab infantia ad educationem mancipati, Adalbertus Epiſcopus Pragenſis, & fulgentiſsimũ Eccleſiæ ſydus Sanctus Thomas Aquinas.

Ab huius vineæ cultoribus, omnes diuinæ, & humanæ artes excultæ, promotæ, illuſtratæ: barbaræ nationes etiam inſtructæ, innumeri populi ad fidem conuerſi. Sic ab Auguſtino Angli, à Bonifacio, poſtea Moguntino Epiſcopo, Germani; à Leandro Hiſpalenſi, Viſigothi in Hiſpanijs; à Corbeiæ Saxoniæ alumnis Boreales populi; à Bucil Catalano Indiarum Occiduarum latiſsimæ Regiones. Sed arenæ minuta, & pluuiæ guttas dinumerare qs põt? Curro.

## CAPVT VI.

### Vinea Camalduenſium recenſetur.

CAMALDVENSIVM vineam velut paradiſum Eden, ab omni ſeculari ſtrepitu ſecretam, à mortalium oculis remotam, viribus humanis inacceſsibilem, celebrandã aſſumo. Illico occurit, vt laudum omnium materia Romualdus eius vineæ cultor, & inſtitutor, [vt alter Ioannes Baptiſta ex Eremo lucerna ardens, & lucens; qui claros Ægypti, Nitrias, atque Thebaidas Anachoretas fertiles, tranſtulerit in Italiam: inter quos ipſe, vt alter Antonius, forma factus idoneus eiuſmodi vitæ arduum inſtitutum arripientibus], vnde, vt inquit idem, [factum eſt vt admirandis progreſsibus ſanctitatis, ex Cœnobio ad vitam tranſiens Anachoreticam, ita fœcundus in prole ſanctorum fuerit, vt occidentalem Eccleſiam ſanctis repleuerit Anachoretis: quorum aliqui Apoſtolatum ad gentes meruere, & inſigni corona martyrij decorari. Talis fuit Bonifacius, Apoſtolus Ruſ-

Baron. anno 974. num. 2.

Ibidem.

Petrus Da.

Ruſsiæ, qui pro Chriſto inuictus martyr occubuit. Qui vero aciem gladij non pertulere, incruento martyrio, ſeipſos vt hoſtiam Deo obtulerunt, & diffuſſus odor ipſorum in omni loco effecit, vt de hac quoque vinea, ne dum diceretur. *Ficus protulit groſſos ſuos*, ſed, & *vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* Cant. 2.

mianus in Rom. c. 45

## CAPVT VII.

## De vinea Cluniacenſium differitur.

CONSIMILEM à Bernone, ope Vuillermi Ducis Aquitaniæ, in pago Matiſconenſi, vineam plantatam inſpice; familiam dico Cluniacenſium. Quid niſi fructiferas arbores inſpicies, ſi Odonem, Hicmardum, Maiolum, Odilonem, ſibi inuicem in tempore, & ſanctitate ſuccedentes contempleris? Horum opera Cluniacenſe, ab his extructorum (ait Baronius) extitit [alueare, ex quo in diuerſa loca progreſſa ſunt examina, tãquam agmina Monachorum, quæ Gallias, & Hiſpanias; & Italiam oppleuere. [Tantam in his veris perfectionem notauit B. Petrus Damianus, vt hæc ſcripſerit. Porro autem

anno 1005 nu. 12.

Ep. quæd

ad Clun. dum tam districtum, tanquam frequentem sanctæ vestræ conuersationis ordinem recolo; non ad inuentionis humanæ studium, sed sancti Spiritus magisterium esse perpendo: nam tanta erat in seruandi ordinis continua iugitate prolixitas, tanta præsertim in Ecclesiasticis officijs protelabatur instantia, vt in ipso cancri, siue leonis æstu, cum longiores sunt dies, vix per totum diem vnius saltem vacaret horæ dimidium quo fratribus in claustro liceat miscere colloquium.

## CAPVT VIII.

### Carthusiensium vinea visenda exponitur.

VINEAM vero Cartusiensem libeat admirari, de qua Sanctus Antoninus illud elogium protulit, quod vbi multi clausirales non nihil deflexerant à primæuo instituto, Carthusia tamen adhuc in suo rigore perseueraret. Spectabilis est in cunctis morum grauitas, & maturitas, & silentij perpetua disciplina. Quod si Pytagoras silentij legem præscripsit discipulis, vt tacentes loqui discerent; perpetuam suis silentij legem indixit Bruno, vt cum Deo scirent miscere colloquia, & viuentes in multa patientia, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimi-

Pa. 2. Pi. t. 15. S. 21.

nimitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, illustria bonorum operum ad componendos mores se præberent exépla; vt pene quot huius sancti instituti religiosi numerentur, totidem perfectionis religiosæ paradigmata recenseãtur. In hac solitudine sponsus ad cor sponsæ loquitur. In campis syluæ inuenitur, vbi in Ephrata, ob strepitum sæcularem, vix xox eius auditur. Hic in cauernis maceriæ, & in foraminibus petræ quiescens, columba eripitur de laqueo venantium, & à verbo aspero. Et vt familiam Brunonis cum Sancto Brunone cõcelebrem, Hic omnium celebratur negotium, & in quiete pausatur actione. Hic pro certaminis labore repensat Deus athletis suis mercedem optatam; videlicet pacem, quam ignorat mundus, & gaudium in Spiritu Sancto. Hæc est illa Rachel formosa; pulchra aspectu, à Iacob plus dilecta, minus filiorum ferax, quam Lia fœcundior, sed lippa: pauciores enim sunt cæteris fratribus à patre dilecti. Hæc sunamitis pulcherrima, sola in omnibus finibus Israelis reperta, quæ Dauid foueret senem, & calefaceret. Adeo autem ferax vinea est, & fœcunda vitibus sanctorum Doctorum, atque scriptorum, vt si omnia, & singula historico solo stylo percurrerẽ, ante deficeret dies, fátigatumque dicendo latus anhelaret.

Apud Surium tom 5.

## CAPVT IX.

### De plantatione vineæ Ciſtercienſium agitur.

AD Ciſtercienſium ſpectabilem vineam, ſiue à Stephano, ſiue Roberto ſub regula Ductoris Benedicti plantatam, à Sancto Bernardo vero mirifice excultam, oculos conuerto.

Hic cum eodem Bernando vineam iſtam celebrem. Prata virentia ſcripturarum, præterfluens lachrymarum vndoſitas, quam de puriſsimis affectibus amor ille cœleſtis eliquat. Hic ſunt arbores erectiſsimæ, chori ſanctorum, nullaque eſt, quæ non multa gaudeat fructus vbertate. Et poſtea. Videas hunc ſacris lectionibus intendentem, illum occupatum orationibus, hunc pro ſuis exceſsibus lachrymantem, illum in Dei laudibus exultantem, & officia pietatis ſibi inuicem inuidere. Nocte conſurgunt ad confitendum, & veſpere, & mane, & meridie narrant, & annunciant laudem eius, & omnis illorum ſedulitas in orbis diuini rotatur obſequijs. Fulget ait Benedictus XII. [Sicut ſtella matutina in medio nebulæ Sacer Ciſtercienſis ordo in Eccleſia militante, ſtrenuè militat operibus, exemplis, ferui-

Ser. de S. Nicol. t. 2.

In Bull. com. 1.

feruideque satagit, per sanctæ conuersationis aplausum, & innocentis vitæ meritum, montana scandere cum Maria: seq; per exercitium laudabilium actionum, & pensum piorum operum curiosum, Marthæ satagentis officium cõseruare. Hic nempe ordo in diuini cultus ministerio sedulus, vt sibi, & alijs proficiat ad salutem; in sacræ lectione paginæ studiosus, vt ad perfectam excellentiæ supernæ cognitionem valeat peruenire; præstans, & promptus in operibus charitatis, vt adimpleat legem Christi. A mari vsque ad mare palmites suos meruit dilatare, quia gradualiter ad virtutum culmina patenter ascendit, & proinde per sacri pneumatis inflammantis corda debilia fistulas, gratia abundauit.] Hęc Summus Pontifex Benedictus.

## CAPVT X.

## Vinea Præmonstratensium effertur.

PRÆMonstratensium vero vinea à Sancto Norberto Archiepiscopo Magdeburgensi, sub Augustini regula exculta plantatur: quæ

Ex Hugone eius cõtemporan. apud Sur. t. 3. 6. iun.

quæ quantum in temporali, & spirituali ædificio creuerit, & quam altas radices fixerit; arbores ex ea, in diuersas nationes translatæ dicant; fructus ex ea successiuè redolens prædicet; & qui viderunt, & cooperatores extiterunt vsque in æternum succedentes successoribus præbant testimonium. Et vt dicit Baronius. tom. 10. [Creuit autem adeo fratrum numerus, & multiplicati sunt, & in Saxonia vbi religio tepuerat, & in Sclauonia, vbi nulla erat, radicati fructuoso germine floruerunt, multiplicati sunt, vt quondam Hebræi, fremuerunt Parthenopolitani, odioque, & inuidia aduersus hominem Dei inualescente, ipse in Deo spem, & fiduciam habens alienas institutorum congregationes propagare non cessabat.] In huius ergo Ducis vexillis militans Præmonstratensium acies, per incipientium, proficientium, & perfectorum merita, dum diabolo terribilis apparuit. alijs Christi exercitibus vires addere visa est.

## CAPVT XI.

### De aliis vineis Sancti Guulelmi, Sanctæ Trinitatis &c. honorifica mentio.

Quid

QVID referam ceteras vineas, vt insignis religionis Montis Virginis, quæ S. Guulelmi instituta sequitur; Monasterij Cerui frigidi in Diœcesi Meldensi, quod existit caput ordinis Sanctæ Trinitatis: & Vallis Scholarium, quæ pro fundatore agnoscit B. Guulelmum Anglum Fontis Ebraldi in Diœcesi Pictauiensi, quam B. Robertum Breselium parentem asseuerat? Multas alias prætereo. Nec enim chronologia attexitur. Hic cernes homines Angelorum vitam esse æmulatos, in carne præter carnem viuentes. Frequentiora ieiunia admiraberis, orandi Deoque vacandi sedulitatem, cilicij durum tegmen, spontanea verbera, crebras vigilias, & quod omnium caput est propriæ voluntatis abnegationem; & quod auidè animus poscit hoc illi negari, vt parere discat, ac flecti. Si singulorum Hos mores, hanc vitam, ordinem, hoc institutum, vt dicam cum Augustino, laudare vellem, neque digne valeo, & vereor, ne iudicare videar, per se ipsum, tantumodo expositum placere non posse, si super narrationis simplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putauero. De mori. Eccl. c. 81.

## CAPVT XII.

R De vi-

## De vineis quatuor Ordinum Mendicantium, & primo de vinea Ordinis Prędicatorum, quam S. N. Patriarcha Dominicus fundauit.

AD Mendicantium vineas accedo, easque quæ ex participatione cum illis sunt adunatæ, atque conteſſeratæ. Vinea Prædicatorum Ordinis primo tibi occurrit intra vastiſsimam Eccleſiæ vineam plãtata. eo tempore, quando, vt dicit Gregorius IX. Vineam ad quam patrem familias operarios diuerſis tempo-
In bulla canoniza. D. Dñici. ribus denarij conductos conuentione præmiſerat, & quam ſua dextera plantarat, non ſolum vitiorum, & vepres, & ſpinæ peruaſerant, ſed iam propemodum vulpeculæ demolientes conuertere in alienæ vitis amaritudinem intendebant. Sed Dominus Alexander Papa Quartus in illius laudem, & commen-
Habetur inprolog. conſt. Prædicat. dationem quid dicat etiam audiamus. Cœleſtis ille agricola, ſummus autor fidei, præcipuuſque protector, ſacrum fratrum Prædicatorum ordinem, quaſi lignum ſertile in Eccleſiæ paradiſo inſeruit, vt delectaret amœnitate, vbertate ſatiaret, & fructum ſuauitate mulceret. Hoc itaque ſpecioſum, fæcundum, ac dulce lignum imbre ſuperno irrigatum, pulchra plurima, ac dulcia poma profert, quorum odore, ac ſapore confortantur, & conualeſcunt debiles, varijſque de-

tenti

tenti languoribus liberantur. In hoc vtique vitæ ligno mortales homines carnis infirmitatibus prægrauati, pabulum salutis inueniunt, & internam recipiunt sospitatem. Huius inquam ligni percepta fragantia vndique ad libamen ipsius concurrunt innumeri professores fidei, qui assiduè illo perfruentes, & eius salutaribus fructibus conuescentes de ipsius prægustata dulcedine ministrant, & ipsi alijs suauia libamenta salutis. Hæc est illa generosa plantatio, quæ ramos suos vndique expandens florer: plurimos honoris, & honestatis, fructusque vberrimos doctrinæ profert; & virtutis, & odorem sanctæ, & laudabilis conuersationis, longe lateque diffundit. Hic est ordo Sacer Prædicatorum honestate floridus, præclarus scientia, virtute fœcundus, à Sede Apostolica merito approbatus; qui inter alia plantaria Dominica, puritate conuersationis, sapientiæ dono, & virtutis merito dignoscitur specialiter insignitus. Huius sacri, clari, conspicui, & approbati ordinis fratres, sacrarum litterarum studio instanter incumbunt, animarum profectibus, diuinis officijs, & orationibus incessanter intendunt, atque Euangelicæ prædicationi ardenter insistentes, lumen diuinæ doctrinæ vbique per orbem diffundunt. Hi sunt viri doctrina clarissimi, qui contemplationi cœlestium feruenter inuigilant, & piæ vitæ studio sine intermissione desudant. Hi sunt viri probati, & plenè in lege Domini eruditi, efficaces quidem in opere, & in prædicatione potentes, quorũ labia gratia cœlestis edocuit ad propinandam salubrem doctrinam alijs, & commodum, ac profectum animarum Christi fidelibus exponendum. Vnde vbique per mundum ora ipsorum intonant, velut tubæ, ac in omnem terram exijt sonus prædicationis eorum, & vsque

ad fines orbis sua salutifera verba sonant. Hi sunt viri præclari, conspicua religione fulgentes, qui tanquam lucentia sydera in Ecclesiæ firmamento suis splendidissimis documentis, viam cœlestis vitæ mortalibus insinuant. Hi sunt phialæ aureæ plene odoramentis, qui sua sacra conuersatione suauiter redolentes, hortantur per hanc alios, & inducunt à somno negligentiæ celeriter surgere; & excussa prorsus inertia ad opera lucis, & bonitatis festinanter properare. Hi sunt dilecti Deo, & hominibus, fratres videlicet Prædicatores, morum honestate conspicui, scientiæ titulis insignes, quos æterni patris benignitas, inter plurimas personas diuinis obsequijs deputatas, pro sui nominis attolenda gloria, & fidelium procuranda salute specialiter elegit. Qui suum semper affectum, & amorem cœlestium dirigentes, virtutem diuini nominis vbique publicant, & pro Christianæ religionis ampliando cultu vigili attentione laborant. Hi sunt qui vitam, & merita Beatissimi Pauli Apostoli contemplantes, gloriantur in sola Cruce Domini nostri Iesu Christi: & mundi pompas, ac solatia spernentes, ad solam cœlestem patriam, & ad paradisi delicias recta intentione suspirant. Hi sunt, qui propter Deum semetipsos salubriter abnegantes elegerunt sub arctissima paupertate Deo deseruire, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Hi postremo sunt, qui cum omnia terrena propter amorem bonorum cœlestium reliquerint, sobriè, iustè, piè, & castè viuentes, ac exilia vitæ subsidia mendicantes, Christum pauperem imitantur, perfectionem Euangelicam amplexando. Vnde clarissimè constat, eos in statu perfectionis existere, & per suæ religionis obseruantiam (quæ quidem ipsius Euangelicæ perfectionis continet formam) in æ-

terne

ternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri. Maiores porro huius vineæ palmites ij sunt, qui sanctorum albo sunt ascripti.

Primus ergo S. Patriarcha Dominicus vineæ Prædicatoriæ sator cultorq; eximius spectandus proponitur, qui quasi oliua pullulans, & cypressus in altitudinem se extollit, vestitu sanctitatis amictus, & consummatione virtutis, *Qui in vita sua fulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum* dum labentem Lateranensem Ecclesiam suis humeris Pontifici Innocentio visus est sustentare, *Circa illum corona Fratrum.* Innumeri videlicet racemi, perfectionis normam, tanquam succum à palmite haurientes, *Et quasi plantatio Cedri in monte Lino, sic circa illum steterunt quasi rami palmæ,* Innumeri videlicet, laureati viri eius regulæ professores, aut ex virginitatis candore, vel martyrij cruore, vel doctrinæ labore, de Mundo, Carne, Diabolo trophæa reportantes.

Eccl. 50

Subsequitur Petrus Martyr, illustris palmes, De horto si quidem fidei nuper in mensam regis æterni dulcis allatus est fructus. De vinea Ecclesię in regium calicem affluens, nouiter liquor influxit, quoniam fœcundus palmes hostili mucrone concisus habuit plus humoris, quia adhæsit pręsius viuę viti. De Prędicatorum ordine florido prodijt rosa rubens,

Innoc. 4. in bull. canoniz.

que regalibus oblata conspectibus intulit suauitatem odoris. Innumeri quoq; Botri huius vineæ cum Petro eandem eò reddunt illustriorem, quò monstrant feraciorem. Pendent (vt nonnullos innumeris omissis recenseam) hinc botri, nonaginta, scilicet martyres à Tartaris trucidati. Inde apud Sandomiriam in Polonia martyres quadraginta nouem, Hic in Diœcesi Tholosana pendent tres inquisitores qui dum enecarentur, cœli aperiri scalis inde ad terras demissis, visi sunt: Ibi sex alij obtruncati, qui & capita sua singuli post mortem à supplicij loco Mureti nomine, per nouem passuum milia præcedente lumine cœlitus demisso, ad conuentum Tholosanum detulerunt. Hic centum nonaginta fratres partim Tartarorum spiculis, ac telis, partim patibulo, aut lapidibus obruti, aut viui decoriati, aut flammis exusti, aut capite obtruncati in Hungaria, Dalmatia, ac Bosina Prouincia martyrium comsummantes, vineam quoque nostram decorant. Ibi in Prouincia terræ sanctæ B. Fr. Christianus Patriarcha cum quatuor nostri ordinis fratribus gladijs Saracenorum mactatus, & cœnobio solo æquato centum alij fratres ab ijsdem occisi; & ipsi quo-

Micho. 9. de reb. Pol. Chro mer, lib. 9.

que

que meruerunt, vt in hoc ordine martyrum censerentur. Paucos de multis recensemus, ad annalia cæteros martyrij laurea donatos remittimus.

Sed & ordo prędictus in horto plantatus Ecclesię, ac in germen ineffabilis spiritualis vtilitatis succrescens illum prælucidum, & fructuosum palmitem dedit B. videlicet Thomam de Aquino confessorem, & Doctorem egregium, ex cuius sapientię, & doctrinę scriptis, & traditis, vniuersalis Ecclesia multiplicis vbertatis spiritualis fructum colligens, ipsius odore reficitur incessanter: & quod idem ordo, vt spiritualium fructuum vbertatem multifariam multiplicet, non lassatur labore. Clemens Sextus in lib. primo.

Diem solemnem in condensis cõstituunt magnus ille Albertus, vsque ad miraculum sapientissimus Sancti Thomæ magister: nec non & Sancti Doctoris expositores, tanquam frõdosæ pampini illum circumeuntes, & exornantes: ipsi quoque botri non vulgares qui studiorum, & vigiliarum quoque prælo compressi vinum sapientiæ populis propinarunt; tales sunt (vt pauca delibemus.) Heruæus Paludanus, Tarantasia postea Innocentius Quintus, Durandus, Capreolus, Caietanus, quorum singuli classici Doctoris nomen mererentur, ni à Thomæ præoccupati essent ingenio meliori. Dies me deficeret si eos recẽ-

sere

sere oporteret, qui conciones, homilias, scripturarum sacrarum commentaria, diuersarum rerum opuscula, grauiter, & ornate ad dogmata roboranda, & mores obfirmandos (quorum quidem est penè infinita multitudo) conscripserunt. His bibliothecæ refertæ, etiam si iniuria temporum, & bellorum incursibus maxima pars interciderit, vel combusta, vel suffurata, vel deperdita. Conseruentur nunc promptuaria. Arcæ, scrinia, vndiq; Neotericis impleantur, ac consarcinentur, semper antiquis primus debetur honos, tàm ex primi fœtus inuentione, quàm ex stylo cõpendiosiori cum maiori dicendi perspicuitate: etenim cum, vt habet philosophus, sapientis sit ordinare, non ex multitudine eorum quæ dicuntur, sed ex distincta ipsarum assertionum, ad propria, & prima principia reductione, doctorum scripta æstimanda, & amplectenda sunt. Et certè si riuuli ad fontes reducerentur, aluei exiccati cernerentur. Et

Horati 9. epist.

*Si forte suas repetitum venerit olim*
*Grex auium plumas, moueat Cornicula risum*
*Furtiuis nudata coloribus.*

Alterum palmitem produxit vinea ista S. Vincentium Fererium Valentinum, Sacræ Theologiæ

ologię professorem, æterni Euangelij in se documenta habentem, quem veluti athletam strenuum ad ludęorum, Saracenorum, & aliorum infidelium confutandos errores, ac extremi iudicij diem quasi alterum Angelum volantem per cœli medium, ad pronunciandum Euangelizandumq; sedentibus super terram, tempore opportuno transmisit, vt in omnes gentes, tribus, populos, linguas, & nationes verba salutis diffunderet, regnum Dei, diemque iudicij appropinquare ostenderet, & æternę vitę semitam demonstraret. In modum coronæ confessores innumeri, omnes cælites, Vincentio aggregantur, qui sanctitate eximia effulserunt. Talis fuit B. Ioannes Salernitanus insignis prædicator, animarum œconomus, qui à muliere ad concupiscentiam prouocatus in ardentissimam rogũ se conijciens, ignem libidinis in muliere extinguere meruit, nec ab igne læsus est, qui in igne positus nescivit ardere. Talis B. Iacobus à Beuania, eadem nocte in lucem editus, inqua orti sunt S. Thomas Aquinas, B. Ambrosius Sansedonius, & tunc à puerulis in plateis conclamatum esse perhibetur. *Surgamus pueri, eamus ad scholas; surrexerunt enim magistri orbis terræ;* triplicato sydere pariter in cœlo apparente. Tales Ægidius Lusitanus, qui lancea in pectore percussus vehementer à potentissimo equite, sibi visibiliter apparente,

Pius 2. in bulla canoniz. S. Vincentij

vt vitam in melius commutaret, è Saule efficitur vas electionis, & sanctitatis. Talis Hericus Susonius prodigium sanctitatis; & Mauritius Tholosanus, præter sanctitatem, & miraculorum gloriam prędicatione illustris. Tales Petrus, & Arnoldus gemelli fratres, qui eodem die nati, eodem die in religione renati, eodem die (sanctitate pares) ad cœlestia regna vocari meruerunt; quos eadem religio, & charitas verè fecit esse germanos. Chiliadas istas decennio non exequerer: ad annalia legenda prouoco.

Sed mirificè effloruit vinea ista cum palmitem illum fœcũdum protulit S. Antoninum Florentinum Archiepiscopum, florem canonistarum, Prælatorum exemplar, quem Sanctorum Præsulum eiusdem ordinis infinita turba prosequitur. Omitto modo cæterorum Prælatorum infulas recensere, quæ ex huius vineæ arboribus tanquam trophęa cum Sancti Antonini mitra pendent, cum illustrior reddatur ex quadraginta circiter galeris Cardinalitijs, & tribus Tiaris cohonestetur Romanorum Pontificum Innocentij Quinti, Benedicti Vndecimi, & Pij Quinti, qui forma facti gregis, forma sanctitatis non vulgari in

Eccle-

Ecclesia Dei effulgent.

Ad eandem vineam attinent antiqui quidem vineæ prædicatoriæ fœcundi palmites, sed quia nostro tempore albo sanctorum conscripti, magis mundo innotuerunt, Hyacinthus, & Raymundus (duplicato Vrbis, & orbis gaudio, quod hæ duæ oliuæ assistant intercessores dominatori terræ) modo recensentur.

His adiungendi B. Ceslaus, S. Hyacinthi frater in Vratislauia, vterque Petrus Consaluus, Thelmus, & Amarantus in Lusitania; Albertus Magnus in Germania; Augustinus Dalmata in Luceria Apuliæ: & alij, quorum dies festus in suis Prouincijs anniuersaria cõmemoratione recolitur. Insuper & B. Ambrosius Sansedonius in martyrologio à Clemente Octauo adscriptus, & à Gregorio XV. cum B. Iacobo Veneto Beatorum albo conscriptus, & B. Ludouicus Beltrandus beatificationis radijs illustratus, similiter effulgent.

Sed quantum attinet ad sanctas mulieres. Flore candens virgineo assurgit S. Catherina Senensis, quæ vulnerata sacris stigmatibus Christum crucifixum exprimit. Proxima, est illi B. Agnes beatificationis itulo decorata,

cuius corpus cum ſancta virgo Catherina inuiſeret, & pedes oſculari vellet, Agnes alterum pedem retulit ad os vſque Catherinæ. Alio etiam tempore reuerſa, cum ſe ad caput Agnetis demiſiſſet, manna inſtar niuis toto illo in loco pluere cœpit. Proxima quoque B. Margarita de Caſtello in cuius corde tres lapides pretioſi reperti vſque in præſentem diem impreſſum præſepe Domini cum Ioſeph, & Maria, & Christo Domino in medio animalium iacente, mirabiliter exprimũt. Helena ſimiliter Hungarica ſtigmatibus refulget, cuius diſciplinæ tradita Margarita Regis Hũgariæ filia ad ſummum ſanctitatis gradum peruenit. Vna ergo Catherina, & ſi aſcripta ſit ſanctorum albo; adoleſcentularum tamen, hoc eſt puriſsimarum animarum, non eſt numerus quæ Chriſto ſponſo adhærentes lauream promeritæ ſunt, & paſci inter lilia in perpetuas æternitates. Si plures deſideras, annales prædicatorios euoluas, & luce clarius inſpicies quam frugifer extiterit palmes ille Dominicus, felixque ſurculus, quantum germen produxerit, & quàm glorificetur Chriſtus Dominus, vitis vera è cuius radice,

dice, & plenitudine gratiarum Dominicanus ordo cũ ſuis racemis, hauſit quicquid habet.

## CAPVT XIII.

## De Vinea Seraphici S. Patris N. Franciſci.

AD ampliſsimam vineam excolendam alios etiam operarios miſit altiſsimus, vt (ſicut dicit Gregorius Nonus) Superfluitate palmitum reſecata, & vitulaminibus ſpurijs radices altas non dantibus fructum ſuauem afferat, & iocundum: qui prælo patientiæ defecatus in æternitatem cæleſtem transferatur. Ecce in hora vndecima excitauit ſeruum ſuum Franciſcum virum vtique ſecundum cor ſuum apud cogitationes diuitum, lampadem quidem contemptam, ſed paratam ad tempus ſtatuum. Illum in vineam ſuam mittens, vt ex ipſa ſpinas, & vepres euelleret, proſtratis illam impugnantibus Philiſtæis, per nouum Sanſonem mandibula ſimplicis, ſed feruentis prædicationis, vt fortia quæq; confunderet, innumeras Philiſtĳm acies profligando. Ex mandibula ipſa egreſſa copioſe eſt aqua reficiens, abluens, & fœcundans campos ſordidos, & arentes, quæ in vitam æternam ſaliens abſque argento, & commutatione aliqua poteſt emi, cuius riuuli, longe lateque diffuſi, vineam irrigant, vſq; ad mare palmites, & vſque ad flumen propagines extendentem,

In Bulla de nonizat. S. F.

Tot vero vites in hac vinea Ecclesiæ amplissima Franciscus inseruit suam regulã profitentes, [vt celeriter, quasi miraculo excreuerit, vt paulo post in generali conuentu Assisinatis numerata sint quinque millia capita, atque eò ipso tempore quingẽta simul adiuncta. Itaque breui totum orbem compleuit: quin etiam temporis progressu in eam, quam nunc videmus, peruenit amplitudinem, vt in tres, aut etiam in plures partes distributus sit; hæque ipsæ partes, ita abundauerint, vt singulæ ferè, singulos ordines bene magnos representent.]

Plat. lib. 2. de statu relig. c. 2. 2.

Sic in amplissima Ecclesiæ vinea insignis ista portio tanquam vinea selecta velut hortus conclusus, & delitiæ Domini includitur: Cui illud adaptari potest, *Vinea fuit pacifico, tu ea qua habet populos; tradidit eam custodibus*, nec enim vnam, aut alteram gentem, sed multitudinem populorum omnium nationum, quæ sub cælo est Franciscí regulam profitentium continet, eamque regendam Prælatis tradidit, quos Guardianos, & Custodes voluit appellari. Huius vineæ, *Vir affert pro fructu eius mille argenteos*. Quia ob altissimam paupertatem quam profitetur Franciscí sectator libera

Cant.

mente

mente, & perfectè omnia terrena dimittit, vt Christum veraciter habeat: millenarius enim perfectus est numerus, ideo per eum perfectio rei cuiuslibet demonstratur. Hos argenteos (quoque) illi ferebant, de quibus scriptum est. *Quot quot enim possessores agrorum, aut domorum erant, venaebant, & afferentes ponebant ad pedes Apostolorum pretia eorum, quæ vendebant.* In qua paupertate supereminet vniuersis. Hæc vinea, & si in humilitatis valle plantata, Minoris nomen obtineat, firma tamen in radice fundata supereminet terris, & quamuis solum vile prætexat; tamen nunc gemmante flore pubescit, nunc circumfusa viriditate vestitur, nunc mite iugum suscipit cum maturioribus brachijs quasi sarmentis fœcundæ vitis adoleuerit. Vinea quæ cum Crucis ligno suas maritat vites, nudum, & pauperem crucifixum insequendo: cuius fructus etiam in postrema colligentur ætate, & (quod est vineis etiam terrenis commune) ita pauperibus, atque diuitibus humilibus, atque potentibus, seruis, ac dominis æqua est communis, vt nulla secretio inspiciatur.

S. Gregor. Cant. loco cit.

Act. 4.

Ex Amb. x. in Luc. c. 20.

Tanquam prȩcipuus surculus, veteris Adȩ excussus ex arbore, in alterius fœtu radicis inseritur

ferirur Franciſcus Chriſto confixus Crũci, in nouo iſto crucis ligno, tanquam gremio pij parentis fœtus inoleſcit, imaginem Chriſti crucifixi in ſe exprimens, qui ſtigmata Domini ſui in corpore ſuo meruit portare, cuius ſanguinis ſtillis, tanquam aquæ ſalutaris irriguis fœcundata terra Minorum, in cœleſtem erecta eſt diſciplinam.

Hoc cruore Franciſci Euangelio ſemini ſuſcipiendo, & propagando, reddita eſt terra iſta fœcunda, & ſuorum ſtigmatum felici ſulco non tantum trigeſimum, at centeſimum iam profert fructum. Aſpice quot fructus reddidit. Si enim Sanctorum albo adſcriptos inſpicies, occurrent S. Antonius Vliſiponenſis Arca teſtamenti appellatus; S. Bernardinus Senenſis Seraphici huius Ordinis profeſſor, & inſtaurator egregius, S. Bonauentura tantæ ſanctitatis (vt in eo Adam videri non pecaſſe dicere ſolebat Alenſis: cuius etiam cor mira claritate fragrans incinerato corpore poſt multa luſtra incorruptum repertum eſt. Sanctus Ludouicus Caroli ſecundi filius Epiſcopus Tholoſanus. Sanctus Didacus Complutenſis. Quos Sanctos Confeſſores innumeri Beati inſequuntur, pauci ex innume

numerabilibus nunc recenſentur, Ioannes à Capiſtrano, Iacobus de Marchia, Paſchalis, & Petrus de Alcantara à throno Apoſtolico beatorum ordini annumerati. Hos inſequũtur Conradus Offidanus, Odoricus Foroliuienſis, Ioannes de Aluerna, præter duodecim ſocios Sancti Franciſci, qui inter viros ſanctitate illuſtres recenſentur, videlicet, Bernardus Silueſter, Petrus, Ægidius, Sabbathinus, Guilielmus Moricus, Philippus, Conſtantinus, Barbarus, Bernardus, Angelus. Numera ſtellas ſi potes.

Fructus huius ſurculi pariter extitit S. Clara Sancti Franciſci diſciplina imbuta, & S. Eliſabetha, Ludouici Lantgrauij Thuringiæ vxor Hungariæ Regis filia, quas virginum, & ſanctarum mulierum innumerabiles cunei inſequũtur, Agnes de Aſsiſio S. Claræ ſoror, Agnes Bohema Bohemiæ regis filia, Friderico ſecũdo nupta, Blanca à Philippo pulchro Frãcorum rege progenita, Sancia Ruperti regis vxor, Catherina Bononienſis (cuius corpus incorruptum vſque in hanc diem Bononiæ aſſeruatur) ſingulas recenſere ſuperfluum.

Sed vt vinea *dum iugatur erigitur, & reciſa non minuitur, ſed augetur: ita* (Franciſci) *ſancta plebs dum* Ex amb. x. in Luc. c.

ferirur Franciſcus Chriſto confixus Crũci, in nouo iſto crucis ligno, tanquam gremio pij parentis fœtus inoleſcit, imaginem Chriſti crucifixi in ſe exprimens, qui ſtigmata Domini ſui in corpore ſuo meruit portare, cuius ſanguinis ſtillis, tanquam aquæ ſalutaris irriguis fœcundata terra Minorum, in cœleſtem erecta eſt diſciplinam.

Hoc cruore Franciſci Euangelio ſemini ſuſcipiendo, & propagando, reddita eſt terra iſta fœcunda, & ſuorum ſtigmatum felici ſulco non tantum trigeſimum, at centeſimum iam profert fructum. Aſpice quot fructus reddidit. Si enim Sanctorum albo adſcriptos inſpicies, occurrent S. Antonius Vliſiponenſis Arca teſtamenti appellatus; S. Bernardinus Senenſis Seraphici huius Ordinis profeſſor, & inſtaurator egregius, S. Bonauentura tantæ ſanctitatis (vt in eo Adam videri non pecaſſe dicere ſolebat Alenſis: cuius etiam cor mira claritate fragrans incinerato corpore poſt multa luſtra incorruptum repertum eſt. Sanctus Ludouicus Caroli ſecundi filius Epiſcopus Tholoſanus. Sanctus Didacus Complutenſis. Quos Sanctos Confeſſores innumeri Beati inſequuntur, pauci ex innume

numerabilibus nunc recenſentur, Ioannes à Capiſtrano, Iacobus de Marchia, Paſchalis, & Petrus de Alcantara à throno Apoſtolico beatorum ordini annumerati. Hos inſequũtur Conradus Offidanus, Odoricus Foroliuienſis, Ioannes de Aluerna, præter duodecim ſocios Sancti Franciſci, qui inter viros ſanctitate illuſtres recenſentur, videlicet, Bernardus Siluester, Petrus, Ægidius, Sabbathinus, Guilielmus Moricus, Philippus, Conſtantinus, Barbarus, Bernardus, Angelus. Numera ſtellas ſi potes.

Fructus huius ſurculi pariter extitit S. Clara Sancti Franciſci diſciplina imbuta, & S. Eliſabetha, Ludouici Lantgrauij Thuringiæ vxor Hungariæ Regis filia, quas virginum, & ſanctarum mulierum innumerabiles cunei inſequũtur, Agnes de Aſsiſio S. Claræ ſoror, Agnes Bohema Bohemiæ regis filia, Friderico ſecũdo nupta, Blanca à Philippo pulchro Frãcorum rege progenita, Sancia Ruperti regis vxor, Catherina Bononienſis (cuius corpus incorruptum vſque in hanc diem Bononiæ aſſeruatur) ſingulas recenſere ſuperfluum.

Sed vt vinea *dum iugatur erigitur, & recisa non minuitur, ſed augetur: ita* (Franciſci) *ſancta plebs dum* Ex amb. x. in Luc. c.

*dum ligatur exuitur; dum humiliatur attolitur, dum re-*
*ciditur, coronatur.* Coronata certe est, dum Sanctus Accursius cum quatuor socijs apud Marochium pro Christo occisus; & S. Angelus cum sex alijs sectam Saracenorum exufflatnes ab Arbaldo Iudice enecati, martyrij lauream insigniter adepti sunt, quorum annua festiuitas à seraphico ordine auctoritate Sedis Apostolicæ celebratur. Petat qui volet cæteros, è grauissimis Seraphicæ religionis Historicis, quia penè singuli innumeros posteritatis memoriæ reliquerunt.

Meruit Francisci labor, & sanguis, vt è vitę erumpetent quatuor Romani Pontifices, Nicolaus Quartus, Alexander V. Sixtus IV. Sixtus Quintus; Cardinales supra quadraginta; Episcopi quos certo numero vix comprehendas. Scriptores in omni facultate adeò celebres reperies, vt hoc mirum sit in Dei Ecclesia, familiam Sancti Francisci in Apostolica simplicitate fundatam, tanta sapientia refertam, vt non solum per discalceatos, & simplices, tractos ad Christi crucem inspicias reges coronatos, sicut olim per piscatores tractos Imperatores, sed & per sapientes Alexandrum Alēsem, Riccardum, Ioannem Scotum,

tum, Aluarum Pelagium, Aureolum, Nicolaum Lyranum, alios quam plurimos, quos enumerare vix potes, Athenæ licæum, & sapientium prudentia est retusa.

Tanto autem fœdere Prædicatorum vinea cum Minorum vinea iuncta est, vt solus habitus tanquam macceria discernat fratres istos vterinos, eodem tempore exortos, simul à Ioachimo prophetico spiritu prædictos, à B. Virgine ad mundi conuersionem simul destinatos, vt paripassu, in sanctitate, litteris, dignitatibus, incelsisse videantur: vt neutrum alteri præferri posse Clemens Quartus iudicauerit. Scribens enim ad quendam militem sic, inquit. Quod si ex proposito non mutato sisteris vlterius, quem tibi ex FF. Prædicatorum, & Minorum ordinibus præeligendum credimus, id præcipue conscientiæ tuæ relinquimus: magis enim tu scire poteris cuiusque ordinis obseruantias, quare non sunt pares in omnibus, & in diuersis particulis excedentes & excessæ. Alterius quidem istorum ordinum lectus est durior, nuditas grauior, & vt nonnulli iudicant, paupertas profundior. Et alterius cibus parcior, longiora ieiunia, & vt quamplures autumant sanctior disciplina. Neutrum ergo neutri præferimus, sed in vna, & arctissima paupertate fundatæ ad vnum tendere credimus, salutem scilicet animarum. & ideo siue hunc, siue illum elegeris, arctam vitam aggredieris; & per portam

In constit. Prad. d. to c. 15.

tam introibis angustam ad terram mellifluam, & præ cęteris spacioſam: vnde hoc apud te pondera, hoc diligenter aduerte, qui magis animo tuo placeat, quemq; speres melius portaturum, & sic vni conuersationi adhęredes, vt amore ab altero non discedas. Frater enim Prędicator est reprobus, qui Minores non diligit, & execrabilis Frater Minor, qui vel odit Prædicatorum ordinem vel contemnit. Sed penè obliti eramus pergere ad aliorum ordinum vineas, flagrãtia, & suauitate Dominicanorum, & Franciscanorum illecti, quare iter ad eas inuisendas prosequimur: vt tantorum virorum exemplis animati, & spiritualium virtutũ odore recreati, feruenter, & alacriter curramus post eos, si fortè mereamur admitti ad sponsi delicias, & ad cęlestia, & ineffabilia gaudia introduci.

## De vinea Eremitarum Sancti Augustini.

ERGO Eremitarum vineam attendamus. Vinea hæc quidem illa est ab Augustino etiam, vt multi asserunt plantata, quã velut mysticus Naboth nunquam passus est dari in direptionem: verum crebrescente hostili Vandalorum insultu, & successu temporis inualescente monasterijs, & Ecclesijs in Africa

Ex S. Antonini 3. P. tit. 14. l. 14. S. 30.

frica Gentilitatis ritu profanatis, concrematis, ac deuastatis, Fratribus hinc inde dispersis, quidam in Thusciam appulere, quorum alij Anachoreticam, alij Cœnobiticam vitam traducentes, tandem illam dispersionem congregarunt, sicut olim dispersionis Israelis dignatus est Dominus adunare. Sancta verò ista propagine vsque ad Concilium Lateranense sub Innocentio tertio producta, cum in Concilio de ordinibus singulis tractaretur, ordo Eremitarum tunc annotatus est absque solemnitate confirmationis. Postea ab Honorio confirmatus, ab Innocentio quarto, promotus, ab Alexandro quarto cui, & ipse Sanctus Augustinus in visione apparere visus est, insigniter auctus. Nam diuersorum ordinũ viri, quorum quidam S. Guilelmi, alij fratris Ioannis Boni, alij de Fabali, alij alijs titulis nuncupati sub vnius Prioris generalis obedientia, secundum Regulam Sancti Augustini tanquam vnius vitis palmites ipso iubente juncti sunt, vt quò vinea amplior, eò fructus esset vberior. Hoc modo pro antiquis Patribus suis nati sunt ei filij, & nouellæ oliuarum, veteribus ex persecutione excusis, nouiter germinarent, filij prudentia senes, grauitate

patres, charitate fratres, virtute iuuenes, dulcedine soboles, innocentia infantes, malitia paruuli, quæ mundi sunt nescientes, totam regni Dei præsentiam possidentes. Duplicarem huius vineæ laudes nisi satis hæc Augustini vinea, cum suis palmitibus, abunde superius celebrata non esset, & infra celebrabitur diffusius.

## CAPVT XV.

## De vinea Carmelitarum.

Thomas à Iesu desiatu monac. P. 1. c. 1. & seq.

DE Carmelitarum vinea, quid eloquar? certe *gloria libani data est ei, & decor Carmeli.* Mõs verè celeberrimus in quo fructuosus ille palmes Helias commoratus, solitariam ab hominum consortio semotam professus est vitam, quem primum colendæ virginitatis

Basil. epist. ad Chil.

auctorem Patres, & Doctores appellant, obedientiæ, & paupertatis prototypum, quem *Principem Monachorum* Hieron. vocat cum Elisæo cum filijs prophetarum, qui habitabãt in

Naz. orõne de pauper amor. in apol. & postquã ex

agris in solitudine, & ædificabant sibi tabernacula iuxta fluenta Iordanis. Ad quos allusit Apostolus, *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis*

*grinis, in solitudinibus errantes, in montibus in spelun-*
*cis, & in cauernis terræ.* Quorum alij etiam in Galgala, alij in Bethel, alij in Hierico, alij in Samaria morabantur, orationi, & contemplationi vacantes; ad quos Elisæus post Eliæ trãslationem, eiusdemque pallij receptionem se recepit ex Lyrano. Permanserunt vero hi Prophetarum filij vsque ad tempora Apostolorum ex eusebio. Successerunt enim eis illi, qui supra Heliæ institutiones, alijs superero-gauerunt, fortè ab Elisæo Propheta eorum magistro, & auctore acceptas. Hi fuerunt Essæni, S. Marci Euangelistæ, postea legibus, & institutionibus instructi, vitæ monasticæ præcipui cultores, Apostolorum prædicatione ad fidem Christi instructi. Ab his porro monachorum agmina in Ægyptum, & Palæstinam descendisse, Doctores, & Historici tradunt. Prædicantibus vero Apostolis, ait Ioseph Antiochenus, Perfectorum militum Christi Apostolorum conditores surrexerunt strenuissimi viri solitarij, contemplationi dediti, sanctorum prophetarum Heliæ, & Elisæi sequaces, qui de Carmelo descenderunt per Gallilæam, & Samariam, Iudæam, fidem Christi constantissimè sparserunt. Quique in Virginis Mariæ honorem in montis Carmeli decliuio oratorium fabricantes, Saluatoris Matri specialissimè seruierunt, illud tunc impletum, quod scripsit Isaias. Habitabit

fuga rediſſe

4. Reg. 4.

2. Hist. Ecclesi.

Gerebrard in chron. ann. 3272.

Cass. 1. de instit. renunc. Nic. lib. 2. c. 39. Sozo. li. 1.

Ioseph Antioch. speculi. orimis Eccl. c. 12

c. 32.

bitabit in solitudine: iudicium, & iustitia in Carmelo sedebit: & erit opus iustitiæ, pax, & cultus iustitiæ silentium: & securitas vsque in sempiternum: & sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Verum nouissimis temporibus Saracenorum persecutione, eremitica vita Carmelitarum deturbata in vrbibus habitare sunt coacti. Cumque [ Nobilissima ciuitas Acconis à Saracenis destrueretur, Deiparæ Mariæ in Carmelo monasterium ad quatuor milliaria, ciuitati vicinum, ab eis igne crematur, fratribus in eo degentibus perfidorum gladijs trucidatis. & tunc (proh dolor) ordo Carmelitarum, mellifluum locum ex toto perdidit, in quo ab Helia, & Elisæi prophetarum tempore duobus millibꝰ ducẽtis viginti vno annis perstiterunt. ] Quare nedum floribus confessorum, sed & rosis martyrum florere Carmelus visus est. Inter hos enitet pariter insignis ille Gerardus Ordinis Carmelitarum Patriarcha Antiochenus in Hungaria anno Domini milleſimo trigesimo secundo, qui super bigam ligatus, & de altissimo monte præcipatus martyrio coronatus est. Venerat enim hic ad Summum Pontificem, vt mala à Saracenis, Christianis illata in

Eraldus Carthuc in falcic. tẽporum anno 1293.

ta in Syria, & Paleſtina propulſaret. Verum poſt tot calamitates hoſtiles vinea iſta rurſus florere cœpit hoc milleſimo centeſimo, Alberto Patriarcha Hieroſolymitano, & Ioanne itidem Patriarcha leges renouante, & vtiliter augente, traductis inde in varias Europę Prouincias eius inſtituti viris. Quæ demum regula ab Hugone Carenſi Dominicano Cardinali S. Sabinæ mitigata, Apoſtolica auctoritate illis obſeruanda tradita eſt in Apoſtolicæ ſedis tutelam, Innocentio Quarto tam illuſtrem familiam recipiente atq; probante.

In Bulla q incipit. q honorem.

Dicere libeat cum Baſilio, In hac ſolitudine dego, in qua Dominus verſatus eſt, hic eſt quercus Mābre illa, hic ad cælum ferens ſcala, hic Angelorum caſtra à Iacobo conſpecta, hic ſolitudo in qua populus purificatus legem accepit, & ſic in promiſsionis terra Deum vidit, hic mons Carmeli in quo Helias commorans Deo placuit, libet etiam cum altero exclamare [ O Carmelitarum religio quam magna facta es in domo Domini nunquid olim à modico fonte Heliæ Prophetæ principium habuiſti? & ecce nunc in magnum fluuium creuiſti: tu olim plantata in Eremo, nunc facta es Ciuitas plena populo: tu fundatorem habes adhuc in paradiſo viuentem, & glorioſam Virginem Mariam Reginam cęli, Dominam

Epiſt. ad Chilonem.

Philip. hieropol. Abbas apud Paleonid. lib. 2. c. 1. antiq ord. carmelit.

mundi, in patronam singularem, sicut enim de te procedunt Sacerdotes, & Leuitæ, Doctores,& Euangelistæ qui patroni & patri omnium religionum facti sunt,] ex te pariter etiam post solemnem confirmationem, & approbationem ordinis (vt innumeram beatorum seriem narrare omittam) sanctorum albo ascripti procedunt. Sanctus Albertus, S. Angelus martyr, B. quoque Andreas Fesulanus Episcopus propediem canonizãdus expectatur. Superuacui plures in re liquida testes.

Franc. Vetius de orig. carmel p. 5.

His annumerant sanctos illos viros, de quibus in Carmelitana religione diuinum recitatur officium, vt Eliam, & Elisæum Prohetas, Dionysium PP. & martyrem, Petrum, & Gerardũ Patriarchas,& martyres,Anastasium martyrem, Cirillum, Serapionem, Spiridionem, Albertum Episcopum, Bertoldum, Simonem, Brocardum generales, Auertanum confessorem, Eufrasiam & Eufrosinam virgines. Inter Beatos recensent Petrum Cesis, Ioannem Soreth, Antonium de Hungaria, Adolium Tarsensem, Elizabeth Reginam, Frãciscam filiam Ducis Brittaniæ, & quis singulos recensere valeat?

Non desunt in illa Botri vineæ. martyres

enim innumeri enumerantur occisi ab Armar rege Arabum anno 636. in Palestina: notissimi vero, & famigerati martyres recensentur Elpidius, Elenus, Eusebius, Eutropius Episcopi, Theodorus, Aloysius, Stanislaus, Lupus, Ioannes, Gerardus, Antyochus. Tapia Trithemius cathagena villega

Inter Romanos Pontifices recensent nonnulli Dionysium Papam, & martyrem, & Benedictum XII. at historici consulendi, nec enim historiam atteximus.

Cardinea vero, & Episcopali dignitate fulgentes multos recenset Carolus Tapia Regens supremi Consilij, vir doctissimus, & religiosissimus lib. de relig. & alij scriptores: ad eosdem lectorem remittimus.

Hæc omnia gloriam Carmeli satis superq; ostendunt, insultus Vviteleph, & moderni hæretici Polyandri Caluinistæ, calumnias, & cachinnos non curando. Lege Vuald. t. 3. tit. 9. Anastasium Cochletium contra Polyandrum c. 14.

## CAPVT XVI.

## De aliis vineis mendicantium, Seruorum, B. Virginis de Mercede S. Francisci de Paula.

POST hos quatuor ordines, veluti quatuor cardines terræ, & quatuor paradisi flumina, & quatuor genera equorum quos vidit Zacharias, rufos, nigros, albos, varios, & fortes, quibus vehitur quadriga Domini, alij ordines plantati sunt, qui priuilegijs mendicantium fruuntur, talis est B. Mariæ seruorum religio instituta, per septem illos nobiles cœlesti voce admonitos, qui in propinquo Monte propè Florentiam latitantes ipsamet eorum sanctitatis luce se prodente, mundo se manifestarunt, multos in eorum societatem aggregarunt in eam, quam videmus magnitudinem excrescens tanto Republicæ Christianæ splendore. Qui eam vineam illustrarũt sanctitate, & miraculis supra triginta tres numerãtur. In primis ille Philippꝰ enitet, qui cum de eius electione ad Summũ Pontificatum tractaretur de se humillimè sentiens, fuga ab onere illo etiam Angelicis humeris formidando se liberauit. Emicant quoque Iacobus, Ioachinus, Franciscus Senensis sanctimonia conspicui. Sed & quinque S. R. E. Cardinales, Episcopi, & Archiepiscopi supra triginta, vniuersalem vineam hoc est Catholicam Ecclesiam custodierunt. Prædicatores,

& scri-

& scriptores innumeri pariter dederunt odorem suum, Christi bonus odor facti in omni loco.

Longe quoq; lateq; suum odorem effudit redemptionis captiuorum familia à S. Raymundo Ordinis Prædicatorum generali Magistro, Petro Nolasco, & Rege Aragonum Iacobo ad captiuorum miserias subleuandas, in eminenti erga proximum charitatis monte plántata.

Institutum Minimorum consequitur, quorum nomen cum vita, & moribus ex insigni humilitate concordat Sancto Francisco Paulano nouo Thaumaturgo auctore, perpetuo ciborum delectu quarto voto præcęteris religionibus suos deuinciente, vt hoc quoq; sit insigne miraculum quod carni, & sanguini repugnans abstinentia à cibis alias licitis, illicitis tamen ex voti ratione, per Italiam, Hispaniam maximè per Galliam, ita percrebuit adeoque in viridi obseruantia etiam nunc efferueat, vt meritò Anachoretis, & Cęnobitis adęquetur. Superuacaneum sigillatim de singulis differere; nam omnium religionum istarum, tam est excellens fastigium sanctitatis, vt cui non spõte mirandum, & honorandum videtur, orati-

one nostra videri qui potest? plura inferius, cum quoque nostro tempore florentes has omnes vineas ostendemus.

## CAPVT XVII.

### De nouissimis vineis Clericorum regularium (qui & Theatini) & Patrum Societatis Iesu, priuilegia Mendicantium Ordinum participantium.

CLAVDAT, & has vineas Monasticas innouata Clericorum Regularium religio, quæ olim sub ipsis Apostolorum temporibus, Alexandriæ maxime Marco institutore florebat, & per multa sæcula continuata fructus vberes produxit. Ipsa, est patrum Theatinorum Congregatio, eò tempore cœlitus immissa, vt hominum mores ad meliorē frugem essent informandi: ea ætate instituti cum grassantes hæreses Lutheranæ, Ecclesiasticorum non probè viuentium vitam dilacerabant atque carpebant. Huius vineæ cultores extiterunt anno 1524. Ioannes Petrus Carrafa, ad Summum Pontificatum erectus, & B. Caietanus Thiæneñ Bonifacius à Colle, Pau-

Paulus Consiliarius tanta virtute præditi, vt breui temporis spatio humanas mentes virtutibus imbuerint, & ad cœlestem militiam accenturiati non leue bellum inferis attulerunt. Hos patres tanquam arietes gregis Clericorum Theatinorum imitati, deinceps Clericalium sodalitatum conditores, ille insignis S. Ignatius Loiola, cui cùm arctissima esset cum B. Thiæneo consuetudo (vt quidam scribunt, de qua re aliorum esto iudicium) ab eodem in Clericorum vineam tanquam operarium Christi postulasset adscribi (adeo pulcher, & speciosus erat religionis huius splendor, vt hæc Aquila in tanti syderis lumen obtutus defixerit) diuinitus illi ad operam eam interdictus ingressus: quippe, qui cognouerat Ignatium vineæ vastissimæ, & fœcundissimæ Societatis Iesu fore conditorem. Sed quicquid sit de hac historia, quæ nexum charitatis potius, quam dissensionis fomitem ex mutua beneuolentia sanctorum virorum demonstraret: certum est, quod hæc illustrissima Societas per S. Ignatium instituta, & auctoritate Sedis Apostolicæ approbata est, & à Pio V. multis encomijs celebrata, & specialibus ditata fauoribus, quæ quantum profecerit, ac pro-

And. Mol. tess. in Sũma tract. 8 c. 7. n. 101 & 102.

proficiat, reportati fructus ex gentilium conuersione, hæresum confutatione, vitiorum extirpatione, iuuentutis educatione librorum compositione, satis ostendunt. Et inferius suo loco ostendemus, cùm vtriusque huius vineæ encomia, & laudes, ad maiorem Dei gloriam Catholicæ Ecclesiæ decorem, & fidelium ædificationem, pro nostra tenuitate prosequimur.

## CAPVT XVIII.

### Quomodo vineæ aliquot florentes ob bellorum incursus pestilentiam &c. alicubi, & in aliquibus iacturã passę sunt.

SED temporum decursu hominum fragilitate, persequentium incursu, schismatibus pręualentibus, Monarchiarum mutationibus, pestilentijs grassantibus, bellis tam intestinis, quam exteris omnia conglomerantibus feruor monasticæ disciplinæ remissus est.

Naz. oratione ad 150. Episcop.

Fateor. Sed hic grex dispersus atque dissectus, quem leones expulerunt, aut tempestas dissoluit, aut caligo dissipauit, præcedentium inquam calamitatum, non propter impietatem in Deum, cuius fidem propugnabamus, sed propter alia scelera nostra; & quia non vt

m anda-

mandatis tuis dignum erat vitæ rationem instituimus. Vnde interdum alicubi apud quosdam visa est seges, omnino nec horreis, nec area fortasse, nec falce digna, nec etiam acerui, nec manipuli, aut certe parui, & immaturi, & quales sunt tectorum, nec messoris, manus implentes, nec eos, qui illac iter faciunt, benedictionibus allicientes. Talis seges nostra erat tantilla messis, magna illa quidem, & pinguis apud eum, qui abscondita intuetur, talique agricola digna, quam animarum recta doctrina excultarum valles multiplicat: cæterum rationem habens, vt in vulgus minime nota esset, nec in vnum cogeretur, sed paulatim colligeretur, non secus ac stipula in messe, & racemolus in vindemia, cum nullus est botrus, quia illa quoque, & quidem admodum tempestiuè mihi videor adiecturus, vt ficum præmaturam in deserto Israelem vidi, & vt acinum vnum, aut alterum maturum in immaturo botro benedictionis causa seruatũ, ac primitijs consecratũ; adhuc tamẽ paruum, & rarum, nec os comedentis implentem; atq; etiam, vt signiferum lignum in colle, & malum nauis in monte; aut si aliquid est singulare, nec multis conspicuum. At ex quo tempore Deus, qui pauperem facit, & ditat qui mortificat, & viuificat, qui sola voluntate omnia facit, atque immutat, qui ex nocte diem facit, ex hyeme ver, & tempestate tranquillitatem, reddita pace Ecclesiæ, turbinibus calamitatum depulsis, reparatoribus disciplinæ regularis ministerium diuinum instaurantibus, denuò suscitatis, ad pristinũ restitutæ sunt decorem vineæ spõsi, & cum ex rebus perditis, & deploratis iter secundis aperi-

rè voluit, tunc rursus parua illa propago, vinea lata pāpinisque luxurians efficitur, in eamque magnitudinem excrescet, vt & fluuios sub se premat, & vsque ad mare extendatur, & à montibus ad montes porrigatur, ac dilatetur, & gloriæ sublimitate mōtes aperiat, & cedros magnitudine exuperet, & quidem cedros Dei, quicunque tandem montes illi, & quæcunque cedri extimandæ sunt. Clarius quod diximus ex Nazianzeno, cum Sancto Antonino remissionem aliquorum claustralium gemente, sed eorumdem restaurationem, germinationemque postea decantante, explicemus: vbi enim de monachalibus, & regularibus religionibus dixisset, quod multi minima negligentes traditionum paternarum, in processu temporis paulatim defluxerunt, Mox canit, sed miseratione diuina à septuaginta annis citca pullulantes reflo-
p. 3. tit. 15 c. 23. S 2. ruerunt, in paucis se reformantes ad vitam regulatem. Deo conuertēte corda patrum in filios parare Domino plebem perfectam, merito, & numero multiplicatos, & flores apparuerunt in terra nostra Florentina. Quod fusè prosequitur, ostendendo prius deformationem in aliquibus personis, mox reformationem, ordinum videlicet, Canonicorum Regularium, monachorum S. Augustini, Cistercienſium, Cluniacensium, Camaldulensium (exceptis paucis in Eremo reclusis) Vallis Vmbrosæ, & tandem Mendicantium

um ordinum. Nec germinationem idem sanctus à dissipatione separauit, nec solam nigredinem recensuit, sed & ad vetustatem attendit, nec suum ordinem Prædicatorum, à cõmuni orbis relaxatione seiunxit; sed cum cæteris adiunxit; scandalorum rursus, non meminit, quinimo ex rediuiuis reformationis pampinis, directè ostendit feruorem charitatis, reaccensum operuisse multitudinem peccatorum. *Talis quidem hic grex erat,* vt idem subiungit Nazianz. *Talisque in præsentia, tanquam futulentus, lateque se porrigens, ac si nondum perfectionem assecutus, ad eam tamen quotidianis incrementis progrediens, atque etiam, vt augurer, progressurus.* Hęc ille, vt ex Dei benignitate post vindemiam, tot calamitatum racematio adhuc sit superstes, & frondibus adhuc redimantur tempora nostra, recentissimis, vt quodam ramosissimis laureis portæ nostræ antiquę præstruebantur, & ornabantur. Supræ

## CAPVT XIX.

Quomodo mirabiliter hyemis persecutione cessante, reflorueruntt, & adhuc reflorent ex Dei gratia sacri ordines, & ostenditur in priscis illis vineis Antonij, Ba-

filij, Augustini fundatoris vtriusque vineæ Canonicorum, & Eremitarum.

In notis ad S. Antoninum par. 2. ci 2 tit. 15. §. Vlt.

NON ergo vetera amplius commemoremus, sed præsentium temporum rationem attendamus: quantum enim attinet ad vineas Antonianas, & Basilianas, quid Petrus Maturus Societatis Iesu presbyter in illarum laudem descripserit audiamus.

[ Quamuis Oriente toto cum religione Christi religiosæ vitæ institutum, diminutum valde debilitatumque sit; non tamen, Deo sic prouidente in medijs etiam tyrannorum gladijs plane concidit: nam vt omittam Frãciscanos Dominicanosq; ex nostro occidente, illuc quasi in Coloniam deductos, qui aliquot in regionibus subditis ditioni, & Turcarum tyranidi, habent monestaria Græcorum monachorum ordinis B. Basilij, quę tributi nomine Turcorum tyranno, quotannis ex vineis, & oliuetis suis pendunt sex millium Turcicorum obolorum.

Abdisù quoque Christianorum Orientalium maximus Patriacha, qui anno Christi 1562 8. Martij S. R. E. fidem professus est, & Tridentinæ Synodo fidei suę testimonium misit, quod

quod in eadem sess. 22. recitatum, in gestis ipsius Concilij habetur, monachus fuit instituti D. Antonij in monasterio SS. Rochæ, & Ioannis professus, vt ipse testatur in sua fidei professione, quæ extat apud Onuph in vita Pij Quarti, & Sur. in comment. rer. gest. & in Bibliotheca Patrum, & nos alibi eius meminimus. Vidimus etiam nostris oculis in Gallia virum venerabilem monachorum D. Basilij Sinam montem habitantium Archimandritam. Plura etiam de his referunt, qui vel Romæ, vel Venetijs, vel Massiliæ versati sunt, vbi illi qui ex Oriente in Occidentem religionis ergo veniunt, appellere sæpius consueuerunt. Plura denique de ipsis scripserunt, qui rerum orientalium statum, Hierosolymitanæque peregrinationis iter scriptis mandauerunt: quę ideo annotare visum est, vt quãta sit Dei prouidẽtia in Sacrarum religionum conseruatione quilibet posset animaduertere. Quod si Gamalielis Consilium verum est, quod habetur Actor. 5 his verbis: *Si ex hominibus est consilium hoc, aut opus, dissoluetur, si vero ex Deo est non poteritis dissoluere* eos; quis non videt sacrarum religionum institutum, quod nulla temporis longinquitas, nulla morum corru- Act. 5.

ptela, nulla bellorum incendia, nullæ tyrannorum, cruces, & nullæ Græcorum schismaticorum peruersitates dissoluere potuerunt, non hominum consilio inuentum, sed Dei impulsu, & inspiratione in hominum animis primo insitum, & propagatum, & per tot sæcula sub varijs habitus formis conseruatum semper fuisse? vt inde discant Hæretici, quã irriti, vanique conatus illorum Christo semper sese illis opponente futuri sunt: qui cum sacras hominum religiones de medio tollere tentauerint, tantum abest, vt ipsi id possint præstare, quod Mahumetana perfidia longe potentioribus viribus nixa, in ipso suo lato sanè, (proh dolor) & patente regno non præstitit, vt ante suos oculos religionem vnam, suis ipsorum temporibus institutam (Deo Ecclesiæ suæ sacrosanctæ singulari sua benignitate, ita prospiciente) florentissimam videant, quæ sicut hactenus, quantum ei diuina gratia cõcessit funestissimis eorum consilijs sese opposuit, eosque de locis multis in quos illorum doctrina pestilẽtissima irrepserat, deiecit: sic deinceps Christo armata, Christo fidẽs, Christum ducens, sequens, eos vbiq; terrarum persequetur, & si peccata hominum nequaquam præ-

præpediunt, vbiq; debellabit, vt Christus Iesus omnium religionum Princeps,& rector, ipsiusq; Vicarius Pontifex Romanus agnoscatur, celebretur, adoretur ad gloriam Dei patris omnipotentis. ¶Hæc ille.

Floret adhuc institutum Basilianæ religionis,in Hispanijs,& in Italia, Messanæ, Cryptæ Ferratæ, Neapoli quoq; in Ecclesia S. Agrippino dicata: amantissimè enim nuper Neapolitana Vrbs illos excepit, quos ab anno 361. (quinquennio post institutionem in collectionem à Basilio factam) per multa sæcula aluerat,& educarat, in monasterijs olim SS. Nicādri,& Martiani,sancti Demetrij in regione Albina,sancti Gaudiosi, Sancti Spiritus,(quantū attinet ad viros) & (quantū attinet ad sanctimoniales) in Ecclesia sancti Gregorij Episcopi Armeni,Sāctæ Mariæ de Anguone, S.Marcellini,quos omnes Cœnobitas, & Sanctimoniales D.Basilij regulas professos testantur auctores graues.

Fran. Antonius Papura.in respons. causæ præcedentiæ Basilianorum cum Cassinensibus.

Augustini vero vinea quam floreat videamus: si enim ad Canonicos Regulares oculos vertas,maxima eorum pars adhuc sub eiusdē sancti regularis perseuerās,boni sunt cooperatores multiformis gratiæ Dei, in fide præclari in spe

in ſpe eminentes, in charitate feruẽtes, iuſtitia inſignes, prudentia ſolertes, temperãtia compoſiti, fortitudine præclari, nec mortem pro Chriſto oppetere formidantes, & vt dicebat de antiquis monachis Auguſtinus dicamus, & nos de eiuſdem filijs. *In communem vitam caſtiſſimam ſanctiſſimamque congregati ſimul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus, nulla ſuperbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi, ſed modeſti verecundi, pacati, concordiſsimam vitam, & intentiſsimam, in Deum, gratiſsimum munus ipſi offerunt, á quo iſta poſſe meruerunt.* Non opus eſt plura de re notiſsima dicere. Satis eſt recenſere è multis paucos, qui noſtro ſeculo cum ſanctitatis opinione diſceſſerunt.

Lib. de moribus Eccl. Cath.

Eminet B. Blaſius patria Vincẽtinus beatitudinis honore omnium voce cultus, vt dicit Carolus Epiſcopus Nouarienſis in deſcrip. Nouar. Eccl. lib. 1. c. 30. Eminet Andreas Nouariẽſis, qui cum ſanctitatis odore plenus bonis operibus Nouariæ diem clauſit extremum. Eminent Petrus Lucenſis, & Seraphinus Firmanus, doctrina, & charitate illuſtres, vt ex eorum opuſculis deuotionis feruor dignoſci poſsit.

Noſtris quoque diebus, vt dicit P. Gabriel Pennotus lib. 3. Hiſt. Lat. c. 51. Albertus de Al-

de Altissimis, virtutibus clarus, magna sanctitatis opinione felicissimam animam suam creatori reddidit.

Non desunt noui martyres botri vineæ. Ioannes Oister Vvica qui sibi potius aures præcidi passus est, quam fidem quę ex auditu est abnegaret, qui etiam glande sulphurea ictus ad cœlestem vitam transuolauit. Similiter Theodorus Gandauensis, Cornelius Eschouianus, Gaspar Flander, Iacobus Gandauensis crudeli mortis genere in Belgio anno 1572. occubuerunt, perennis vitæ fontem ob hunc calicem passionis in æternum degustantes, vide nostrum F. Alphonsum Fernardes in Hist. ecc. horum temporum c. 41. lib. 3. Si vero Eremitanos hoc tempore inspicias habes pariter, quid imiteris, quid admireris, cum infra de ijs sermo reassumetur, & de Mẽdicantium ordinibus refloritione dicetur.

## CAPVT XX.

Quàm floreat nostris temporibus vinea Sancti Benedicti, à columba deplorata, & quos fructus afferat luculenter ostenditur.

BENEDICTI vero vinea, quam florida, & quos fructus vberes modo etiam parturiat inſpiciamus. Vſque in hanc diem præcipuè contemplationi dedita, & orationi ſtatas horas in pſallendo peculiari religione ſeruat, vt antiquos Patres Cœnobitas adammuſſim æmuletur. Ad inſigne Caſsinenſe Cœnobium conuola, ad Montis ſerrati famoſiſsimum Benedictinorum illuſtre Monaſterium propera. Hic media nocte aſſurgunt omnes inceſſanter ad confitendum altiſsimo in matutinis, meditantes, & dicentes Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, conſiderantes ex Ser. 39. Chryſologo quod hoc tempus eſt deuotum, & iuge pernoctantis demonſtrat officium Meminerunt, in pſ. 118. vt dicit Hylar. Hoc eſſe tempus, quo primitiua Ægyptiorum meritiſsimæ obſtinationis clade percuſſa ſunt. His ergo horis non laxantur in ſomnum, ne gladio Aegypti admiſceantur: hoc noctis tempore introeunte ſponſo ſapientes Virgines in nuptias cum lampadibus introibant. Vigilant ergo ne cum ſtultis videantur excludi: hoc tempore pſallentibus Paulo, & Syla Apoſtolis, catenæ, & vincula reſoluuntur: non dormiunt itaque ne victi ſint, nec habet eos nocturni temporis ſomnus.

Rurſus vt verbis Chryſoſtomi vtar: Hæc orbis terrarum lumina quando Sol oritur, quin potius Hom. 56. populum, multo ante auroram, (ad primam) ex lectulo ſurgentes

tēs incolumes, & solertes, & sobriȝ (nec enim vlla tristitia, vel solicitudo, non capitis grauedo, negotiorumue labores, non turba, vel huiusmodi quicquam aliud eos disturbat, sed tanquam Angeli degunt in cœlo) Surgentes itaque statim ex cubili hilares, & læti, chorumq; constituentes in alacri conscientia, consonanter omnes tanquam ex vno ore hymnos omnium Deo concinunt, Cum vero dissoluerint, hic quidem Isaiam sumens, cum illo loquitur, hic autem cum Apostolis conuersatur, alius ab alio elaborata percurrit, & de hoc vniuerso philosophatur de Deo, de visibilibus, de intelligentibus, de vitæ præsentis vtilitate, de futurorum beatitudine. Rursus ad tertiam, & sextam, & sinaxim conuenientes, Seipsos quoque cum sacrificio incruento, & corda ipsorum mactant inuisibili contritionis gladio, & oblatione acceptabili, mox ad refectionem conuenientes, tantum cibum assumunt, quantum satis iudicant, qui mortem arcear, non qui delitias ministret, optimo cibo pascuntur non brutorum carnes elixatas habentes; sed eloquia Dei dulciora super mel, & fauum.

Non sectantur, vt idem dicit, Ex delicijs concupiscentias ex lixis, & coquis, ex pincernis pulmentarijs, confundor quidem omnia dicere veruntamen dicã phasianas aues, fercula affluenter mixta, humidos, & aridos cibos, leges super his positas, &c. Sed nihil huiusmodi penes Angelos illos, verum & omnes hæ concupiscentiæ sunt mortuæ, non enim ad saturitatem, & Ex eodem Chry. ibi. Ibid. homil. 57.

delitias, sed ad necessitatem eis nutrimentum. Aptatur quoque quod idem scripsit,

Post gratiarum actionem de datis, & de maioribus supplicant, neque circa sæcularia morantur, sed super cœlos ascendunt, collationes Patrum voluntates de Deo, vel cum Deo miscētes colloquia: rursus ad horam orationis nonam spiritum renouantes, & colligentes: vespertinis precibus, & completorio pensum horarum septem canonicarum cantando claudentes:

Demum, *repletē compunctione, & feruentibus lachrymis, sic ad somnum se conferunt, tantum dormientes, vt parum requiescant, & rursum noctes dies faciunt in gratiarū actionibus, & hymnodiis degentes.* Hęc Chrys. Ibidem.

Nec solum orationibus, sed, & ieiunijs insistunt continuis præter ordinariam mensam verius ieiuniū, *nam eorum mensa ieiunium est*, similiter & humi stratis cubilibus vigilijs, & sacco, & innumeris semetipsos modis domantes animam ad contemplationem reddunt promptiorem, ad quam omnia referunt, vigilias, ieiunia: nec solum, quasi columbæ ad fenestras suas cœlestia mæditantur, sed, & scripturarum meditationem in scriptis signantes, fauos etiā industriosæ apis instar ad gustandū cœlestem dulcedinem, artificiosè (vt patet ex librorum mole immensa) nobis componunt, & corda

fide-

fidelium imbribus irrigant cœleſtibus, vt poſſint proferre immarceſcibilem operum fructum: vnde paſsim videas in Benedicti vineis fidei excellentia plenos, deuotione ſummos, in ſermone potentes, in opere efficaces, in exercitatione monaſticæ diſciplinæ inſtructos, in ſancta meditatione aſsiduos, peccata populorum plangentes, multis adhuc ſignis coruſcantes.

Sed ne iſtorum contemplationem otium quis putet, vel vacationem à curis ſæcularibus, deſidiam, ſciat in prælijs ſpiritualibus abſque corporis præſentia mira poſſe præſtari, quando contemplante Moyſe, & extollente manus ſuas Amalechitæ corruebant.

Sed nedum hæc vinea florens dedit odorem ſuum, verum ſuos quoque (ne quid illi deſit) martyres hoc in fauſto ſęculo præmiſit ad regnum: ficus enim protulit groſſos ſuos: nam vt modò Martyres in Gallia, & Cœnobia Benedicti ſolo æquata breuiter percurrã, ſatis notum eſt quod contingit Idibus Ianua. anno 1568. quem diem Rupellæ defectio toti Galliæ infauſtum reddidit cum Hugonitiſmus per diuerſas muri partes irripuit, Cœnobij D. Michaelis ſanguinem Cœnobitarum

Lege Billium in epiſt. Nuncupat. in Nazianz.

crudeli ſtrage, cum domeſticorum, & ruſticorum ſanguine coniungens: ſic ſtolas lauerunt in ſanguine Agni, quibus nulla alia mortis cauſa fuit, quam quod nec adulteram pro ſponſa, nec ſemen Chanaam pro femine Iuda; nec Abſalonem, vel Ieroboam, aut Iezabelem pro legitimo principe cognoſcere voluerunt.

Ante non multos annos quando Anglia fidem cum humanitate exuit, ſex Abbates Benedicti Fontanen, Geruientis, Riuerius, Barlinghenſis, Saulienſis, Vuhalienſis, cum alijs multis monachis 1536. propter fidei Catholicæ defenſionem, occiſi alij etiam Abbates, videlicet, Riccardus, Vitingus Glaſconiæ, Hugo Feringdonus Redingi, & Ioannes Becus Colceſtrenſis. 1539. glorioſa voce fidem Catholicam profitentes, & ipſi quoque martyrio coronati. Ioannes Feknamus Abbas Vueſt Monaſterienſis cum multis ſui ſodalitij monachis teterrimo carceri mancipatus poſt carceres, Londini in Caſtro Tuibicenſi conſtanter toleratos 26. annorum ſpacio, anno 1585. teſtimonium fidei reddens feliciter obdormiuit in Domino. Nicolaus vero Monachus eiuſdem inſtituti in Gallia præciſionem linguæ vltra dimidium paſſus. Salisburgi viſus eſt, & au-

Sandet de ſchi. Angl. lib. 1. pag. 177. & 197. impreſſ. Ro.

Sayrus in præf. Theſauri, & alij.

& auditus magnalia Dei eleganter satis, ac diserte eloqui, ac hæreticorum barbariem feritatemque declarare ex Io. Baptista Fiderio in Theol. viridar. de Sanctorum martyrio.

Multi autem Cœnobitæ, licet persecutionem non experti sint, vel gladium; tamē per vitæ meritum martyrio non priuantur. Mausolea non sufficerent, si quot quot cum opinionis sanctitate temporibus nostris discesserunt, separatim condere voluissent: gaudentque potius, quod horum nomina describantur in cœlis, quam quod scripturis, & monumentis diuulgentur in terris.

## CAPVT XXI.

### Idem demonstratur in Camalduensibus.

IAM verò si mentis oculos intendas, ac circumspicias quorundam aliorum religiosorum cætus, quantæ sint sanctitatis, necesse est in maximam rapiaris admirationem. Nam qui quæso Camalduenses, qui à terrenis omnibus extorres, in solos recessus intimè se obstrinxerūt, silentij leges arctissimas sibi coniunxe

Bozius de signis eccles. lib. 9 signo 55. cap. 5.

iunxerunt: vt in diuinis toti essent, & effugerent humanos obtutus, cœlo se insererent, nullius humani sermonis strepitu interturbarentur eloquijs, solummodo diuinis intenti.

Andr. Mugno. in descrip. Ere. Camal. c. 13.

Isti sunt qui (vt scripsit oculatus quidem testis, Eremi Camalduensis descriptor) [Z]elo religionis Christianæ accensi, omnia sua facta dictaque ad metam vnam, Deum puta ipsum summum, fuique diffusium bonum dirigunt, Isti sunt veri Christicolæ; sine dolo columbina simplicitate cum serpentina prudentia imbuti, profundissimę humilitatis viri, seque tanquam omnium abiectissimos reputãtes: nam qui maior inter eosdem, minimum se existimat omnium, nulla inter eos inæqualitatis discordiæue ratio regnat. Erga alios humani valde atq; vrbani, insignes charitatis amatores, in dictis veraces, corde mũdi, spiritu pari, conscientia recti, morum vitęque disciplina inclyti: in incessu gressuuè graues, in loquela cauti, inter eos submissæ, ac rarę voces, in aspiciendo, oculorum euolutione seuera remissi, in victu parcissimi, in dormitione temperati, ac in vestitu candidi, puritatem mentis & corporis denotante. In cæteris denique humanis gestibus, & actibus mundissimi, ac

circum-

circúſpectiſsimi, medium, quod ſanè tenuere beati, in omnibus complectentes; in loco excelſo conſtituti, vt qui alijs prędominantur in virtutibus excedant etiam, & ab eis quique religionis ſtatus viuendi normam perdiſcat. Perfecti Eremi operarij, verique Anachoretę, Nam ſi vnus cadit, mutua inter ſe Charitate ſubleuatur, eique in ſpiritualibus pariter, & corporis refectionibus ſubuenitur. Sunt item velut vrbs alma ſupra montem collocata, quæ obſcurari minimè poteſt: quorum ſancta, & præclara geſta vniuerſo notiſsima ſunt Orbi: in quibus tanquam in chryſtallino ſpeculo Chriſtianæ omnes actiones relucent, habētes ſemper in manibus lampades, aſsiduè lucētes ſacram videlicet ſcripturam, cuius pia ac frequēs lectio animas interno fulgore ſplendentes, in tranquilla pace, animi quiete, concordia, atq; vnanimi mente, ita conſeruat, vt omnium ſit cor vnum, & anima vna, idemque vnum velle, ac nolle.]

Sed (vt idem dicit deſcriptor ſacri Eremi) inter alia pietatis opera, quę Eremitæ omnes quot quot in Eremo ſunt faciunt, [aſsiduus eſt ad templum Domini concurſus. Videbis nēpe illos omni ſtudio, ac ſolicitudine die noc. 17.

ætuq; offerendis Deo ſummo hymnis, & laudibus, cum ęremonijs ſanctiſsimis, poſthabitis vndequaq; cadentibus imbribus, deſcenſu niuium, ventorum ſæuitia, ac vehemẽti frigore, ſepties (inſtar Prophetæ) ad commemoratum Templum ſingulis anni diebus, ſub dio confluere, vbique conuenire. Ibi variæ orationes interno peccatorum dolore, cum gemitibus, lachrymoſis oculis, ſuſpirijs atq; ſingultibus, ex intimis exeuntibus prȩcordijs frequentantur.] Modum autem cadendi deſcribens ſubdit [ſenties namque, (& vtroque ſibi alternatim reſpondente Choro) reſonantem quendam inter pſallendum; ac penè diuinum cõcentum, voces ſcilicet qualdam ſonoras, planas, mediocres, æquales, atq; deuotas, vnicam ceu proferẽs vocem, planctum potius quam cantum ſapientes. Tale vtique Eremi incolæ munus legendi, non autẽ canendi eſſe debet.] O Turturis gemitus, nubes penetrãtes, ſcandala grauia, & multiplicia, hic recenſeri non poſſunt, vnde abſunt [diuiſiones omnes, ſeditiones, cõciliabula, loquacitas, irriſiones, ſuſurrationes, vaniloquia, & mẽdacium ſimulationes, ac ſubornationes, murmurationes, detractiones, odia, ac humanæ oẽs abiectæq;

Hæ eodem

æque affectiones: ventris ingluuies, crāpula ociositas, & somnolentia, inanis gloria, ambitus honoris, ac diuitiarum desideria, elationes, petulantia, æmulationes, ac hypocrisis simulata species, profanę cōsuetudines, munuscula, curiositas, corporea mollities, & alia id genus, quæ longum esset recensere: quę omnia aliena admodum valdeque absurda Eremi incolis sunt, Eremoq; ipsi repugnantia, indigna, & magnopere dissona: nequaquam enim talia patitur, neque permittit, quin potius huiusmodi contagioso languore infectos tanquam morbosos, & abortiuos fœtus expuit, ac veluti merè cadauera certissime refutat. O sacra Camalduēsis Eremorū Eremus, sexcentis propemodum annis à tua primæua erectione adhæc vsq; tempora mirabili immutatione frugiferæ vitæ, incredibili incremento, ac diuino suffragio laudabiliter perdurans: orationis, meditationis, atq; contēplationis fulgentissima officina: Paradisus terrestris cœlestem sapiens: hortus cōclusus supernum redolēs. O sacrariū sacrum omni laude dignū.] Huius sacræ vineæ recensentur inter cæteros Samuel, & Syluester, tāquam Eremi lumina, à quibus cęteri Eremitæ vitę sanctę splendorem

sunt mūtuati. Similiter, & Ambrosius Mōcada, illustris genere, sed virtutibus splendidior, cum Ioanne Baptista Nouariensi, tanquam scintillę in arundineto discurrētes inuisuntur; ad cœlos animo euolantes. Est ibi quidam Marcus Senior Eremitarum constitutionum, & obseruantiarum, per quinquaginta annos tenacissimus custos obseruantię regularis speculum, & exemplar. Sunt ibi, qui vltra abstinentias præscriptas, & ieiunia diuturna (vt è mensibus anni duodecim, numero nouem integris mensibus ieiunent, & singulis sextis ferijs, & ter in hebdomada Aduentus, & Quadragesimæ nudo solo, nudatis pedibus sedentes, pane tantum, & aqua contenti) plures alios dies iuxta feruorem spiritus addunt, vt de priscis notauit Nazianz. *Dimidia ex parte Christi ieiunium imitantur.* Alij quoq; vt scripsit etiā de suo tempore idē Naziāz. *Qui annos integros in tēplo stantes, puras ad Deum manus expanderint: nec quod vir tuique fidem facturum sit, vel tantillum obdormierit, sed viui lapidis instar Christo defixi steterint, ac velut obrigguerint.*

Ad Hellenium.

Sunt, & qui recluſi vocantur, videlicet illi vt scripsit Nazianz. qui *ferarum ritu paruis angustisque domibus inclusi, ne mortalis cuiusque vultum inspiciant.* Inter hos Cornelius quidam recen-

setur

fetur qui natus annos ſeptuaginta, vigintiannis, & vltra, incluſus vitam peregit ſub perpetuo ſilentio, ac vitæ præcipuo fulgore, angelicam vitam tranſigens ſub pelle mortali. compendio dicam. Nihil magis horti Eden imo & cœleſtis Paradiſi expreſsius gerit imaginem, quàm Camalduenſium congregatio, & conuerſatio, ad ſoli Deo vacandum, & guſtandũ, quam ſuauis ſit Dominus, efformata.

## CAPVT XXII.

## Flores, & fructus Carthuſienſium noſtro quoque tempore, recenſentur.

CARThuſienſes vero etiam noſtris temporibus, vt ſcripſit quoque de antiquis Nazianzen. A mundi conſortio diſtracti, ac ſolitudinem amplectentes, Deo viuunt magis, quàm ceteri omnes, qui in corporibus verſantur, & ſui ipſorum tantum ex Dei colloquio fruentes, atque hanc duntaxat partem pro mundo habentes, quam in ſolitudine cognoſcunt. Quid plura. A domibus abhorrent, vrbium frequentiam fugiunt, cognatamque cœleſtis ſapientiæ quietem amplectuntur: partim vt vitium vna cum corpore configant, ſilentium peculiariter, ſibi vendicant & garrulam linguam, quaſi vinculis quibuſdam aſtringunt, labiaque ſilentio comprimunt, illud ſemper

Orõne in Laudem Athanaſ.

Ad Hellenium.

Pſal. 38.

Psal. 38. vsurpantes, Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Ab esu carnium tãta abstinentia, vt nec illis ex religionis virtute, nec infirmum corpus fas sit instaurare. Ieiunijs vero addicti, veterum illorum patrum ieiunia imitantur.

Certè si angelicos patres etiam his temporibus videas, vt de veteribus scripsit Nazianz. videbis eos humiles, & terrenos, & supra terrena: hos inter homines versantes, & rebus humanis superiores; hos vinculis perpetuæ clausuræ pressos, & liberos, qui retenti sunt, & teneri non possunt: quorum nihil in mundo, & quorum omnia, quæ mundo superiora sunt: quorum duplex vita est, altera contemplatiua, altera studiosè culta & expetita; hos inquã propter mortificationẽ immortales, proter solutionem Deo coniunctos, ab amore alienos, & diuino libidineque vacuo amore correptos: quorum fons lucis, & quorum iam radij splendorisque traiectiones: quorum angelici psalmorum cantus, & pernox statio, & mentis ad Deum excelsio, ante mortem in cœlum se rapientes: quorum purgatio, & tamen purgantur, quippe nullum ascensus, & deificationis modum sibi constituentes: quorum rupes, & quorum cœli: quorum abijsi, ac proteri; & quorum thronis insidere: quorum nuditas, & quorum incorruptibilitatis indumentum: quorum solitudo, & quorum sæculi alterius frequentia, & celebritas: quorum voluptates compressiæ, atq; constrictæ, & quorum perpetua, atque inexplicabilis animorum oblectatio: quorum lachrymæ peccati diluui-

Orãe prima in Ieiunium.

um,

um, & mundi expiamentum. Quorum extensio manuum flammas extinguit, feras mulcet, gladiorum aciem retundit, atque habetat; instructas acies in fugam vertit. Vbi hic scandala possit quis aduertere aut obijci à pusillis, & factiosis malis laicis possunt?

In hac vinea quoque præter odorum fragrantiam in sanctis confessoribus botros etiam pendentes inspicies, *Sicut n. botrus redditurus vinum, prius in vinea martyrii, quadam naturæ arte suspenditur.* Sic pro primatu S. Petri, & successorũ eius in ligno mansit pendulus euersa scala, Prior Londinensis, Ioannes Hogtonus cum alijs duobus Prioribus Roberto; & Augustino; quorum verenda à semiuiuis absciſſa, intestina eruta; & corde transfixi vinum spirituale martyrij reddiderunt. *Sander. de schis. Anglis. Lib. 2. pag. 127.*

Postea tres alij in Cartusia Hunfridus, Vilielmus, & Sebastianus, post putentissimi carceris diuturnos squalores, vinculorum cõstrictiones, idem suppliciũ perpessi, quod superiores, in passione similes extiterunt, quorum eadem apud Deum erat professio, atque vocatio. Alij decem Carthusiani Lõdinenses in horrendum carcerem protusi, tunc vitam reperreũt, cum in mortem inciderunt, vno dempto qui annis quatuor superuiuens idẽ genus mortis, *Surius in Comm. Anni. 1535.* *Sand. lib. Pag. 129.*

mortis, quod alij, expertus est, ij autem erant Richardus Berus, Thomas Grænæus, Ioannes Dauis, Thomas Iāsonus, Gulielmus Grenuodus, Thomas Scriuanus, Robertus Salteus, Gualterus Personus, Thomas Redingus, Gulielmus Hornus. Alij duo similiter Carthusienses suspensi catenis tandiu in patibulo hæserunt donec ossa ceciderunt: *Quod factum, quam glorioſum ſit, & á diuinitate diſpoſitum debemus aduertere: ſemper enim Deus quos eligit, hos victores ſubuectione ſublimi in aulam regni cœleſtis inducit.* Hos in phalanga suspensos botros, non homines, sed Angelici in cœlum proprijs humeris euexerunt. Quis laudibus celebret vniuersos confessores quos Carthusia in dies transmittit ad regnum? Horum laus sit numero certo definiri vix posse.

Amb. ſer. 75.

Cæteras autem vineas, quia vel ad Benedicti, vel Augustini portionem pertinent, iam percurrimus, & satis nostro tempore filij filiorum laudantur, qui non solum patres, sed etiam auos tanto virtutum splendore imitantur. Ad Mendicantium instituta descendo.

## CAPVT XXIII.

## De floribus, & fructibus nuperis vi-

neæ

neæ Ordinis Prædicatorum, noua, & vetera ſponſo ſeruantis.

AGE iam videamus, ſi nunc Prædicatorum vinea floreat: ſi ibi pariter florent mala punica; & flores fructus parturiũt. Non floruit ſolum hæc vinea, ſed floret, & diuina miſeratione florebit, & vbi vulgaris aliquis in occaſum tendere exiſtimat, eius prædicat gloriam: nam eò antecellit hæc vinea, quò alicubi reciſa, vel exiccata, latius lucis ſuæ ſapientiæ, & ſanctitatis milites egreditur; quibuſdã enim certo locorum ſpatio ſe prȩcludentibus, alijs in noſtro hemiſpherio ſe continentibus, illa extendit vſque ad Indos progagines eius, & ſolem æmulata, ac ſi eius anguſtus eſſet patrens hic orbis, nouum luſtrans mundum, vbi occidere oculis inſipientium videtur, nouus aſpectus cœli, & terrarum mortalibus aperitur, ad tot occultata prius luminum agmina conſpicienda. In qua vinea illud eſt mirum, quod non ſolum ad delicias ſpiritus in ſancta contemplationis feriata quiete eius profeſſores inuitãtur, ſed, & in eadem ad militiam, & palæſtram exercentur ad prælian-

dum fortiter bella Domini, quæ contra hæreles, & errores ab ipso sui exordio noscitur instituta. Quare intra illam odæum est campus, bella tentorium, claustra sunt vallum; sacræ præces, & rhythmi decantati, tormenta bellica; tubæ prophetiam spirantes, classicum canunt; globuli orarij pilæ; miraculorum gloria, corruscationes: eorum voces prædicationem quasi æs intonantes. Non tàm agricolarum vineę, quàm militum exercentes officiũ induunt pro thorace iustitiam, veritatis scutum assumunt, cucullis vt casside vtuntur pro gladijs calamos stringunt, pro sagittis orationes ardentissimas, argumenta irrefragabilia. omnem scientiam, extollentem se aduersus scientiam Christi destruentes. Gentilium examina, hęreticorum agmina, inferni copias explodunt, sathanæ satellicium profligantes, disputando, scribendo, concionando, publicis priuatisque congressibus, se velut ciuitatem munitam, & murum æneum illorum furoribus, se opponẽtes. Etiam hoc tempore, si palmites huius vineæ inspicias præclarissimi occurrunt viri sanctitate insignes, quos imitetur orbis. Ad illos enim attendendo sentit virtutum fragrantiã, quibus mirificè oblectatus cur

rit

rit in odorem vnguentorum spõsi. Pulchritudinem, eorundem inspiciens sentit ex eorum vultu (vt olim ex Socratis facie) desiderium virtutis excitari; sentit doctrinæ eorum influxu plures in animo suo, quàm cęli rore in cõchilijs margaritas generari; sentit eorum luce desideria ad cęlum assurgere, non secus ex ortu solis, stirpes, & germina ascendere sursum excitantur. Non priscos memoro, sed vltimi centenarij nonnullos è multis deligo, & virtutis æmulatores, cum antiquis certantes, qui cum sanctitatis opinione spiritum Deo reddiderunt. Nostri ergo ad has vineas pertinẽtes sunt P.F. Ioannes Vrtado nobilis Salmaticensis, qui Archiepiscopatum Toletanum à Carolo Quinto oblatum lachrymis reculauit vir miræ abstinentiæ, & puritatis. P.F. Antonius Valẽtinus spiritu prophetico clarus. P.F. Bernardus Alburquerquer, qui senio confectus, infirmitatibus circundatus, meritis plenus, & operationum virtute consumatus ad cœlum migrauit. P.F. Dominicus de Mõte maior vitę regularis, promotor, qui sitientes sæpius in loco deserto etiam iumẽta, aqua diuinitus impetrata refocillauit, & martyrium pro reformatione sustinuit, ad cuius sepulchrum per

Ex 4. P. Reuer. Dio. Lopez & Aloniso Fernandez in concert. Rræ dic. & Michael Pio de Víris illustribus Ord. præd. & alijs.

Anno 1531.

multos annos clerus antiphonam, tãquam de martyre decantabat, cuius veſtigia immitatus pro obſeruantia regulari. P. F. Amator Eſpi gloriosè cum ipſo occubuit, & vtrorumq; nomina, tanquam ſanctorum à cęleſtibus choris de cantari. B. Ludouicus Beltrandus in ſpiritu raptus audiſſe teſtatus eſt. P. F. Franciſcus de Anguilar, qui cum Ferdinãdo Corteſio ad Inſulam Cubę, apud Indos nauigauit, clara Euangelicæ prędicationis tuba; qui cum in facie cęderetur à quodam Indo, vbi nõ eſt propriam vltus iniuriam, cęlum fulmine vindicauit percuſſorem cum equo abſumens. P. F. Dominicus Betanzos Inſulæ Hiſpaniolæ regenerator, primus Inquiſitor Mexicanus, cuius tota vita perpetuũ extitit ieiunium, aſsidua oratio, indefeſſa prædicatio, ſpiritu prophetico clarus, qui, & imminens aquarum diluuium ciuitati Mexicanæ impendens orationibus diſsipauit. P. F. Franciſcus Maioricenſis in Guatemala religionis Dominicanæ fundator, virtutum actibus coruſcans, meruit ſibi diuinitus mortem prædici, quam imminere ſibi ſentiens ijs verbis: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quia ipſe euellet de laqueo pedes meos,* ſpiritum Deo reddidit. P. F. Gonzales Lucerus in Mexicanam

Anno 1531.

Anno 1540.

Anno 1549.

Anno 1549.

Anno

nam Prouinciam destinatus, tanto erga Iesum 1550
amore flagrabat, vt propterea communiter F. Gonzales de Iesu appellaretur: tantæ existimationis apud Indos, vt eius benedictionem infirmi multi exoptãtes salutem impetrarent. Eodem tempore P. F. Benedictus Fernandez cum P. F. Dominico de S. Anna fidei cultores apud Indos mira sanctitate coruscantes fluoruerunt, quorum mors pretiosa extitit in conspectu Dei.

Noster P. F. Ioannes Micon B. Ludouici Anno
Beltrandi magister, & B. Francisci Borgię cõ- 1551
fessarius, & in vita spirituali director, cum esset Dux Gandiæ, miræ sanctitatis exemplar, quem & ipsi Mauritani admirati sanctum prędicabant, & priuato cultu vt sanctum veneratus est idem B. Ludouicus Beltrandus. Eodẽ tẽpore F. Petrus Delgadus in Indijs Deo cooperator indefessus sanctè vixit iustorum morte moriens, à populo, & religionis sui ordinis, & S. Francisci, & S. Augustini decoratus, & honesto loco tumulatus. In eius tumulo supplex sepeliri postulauit Ioannes Lopez Episcopus Oaxac: *vt Sancti* (dicebat) *istius ossa in die nouissimo resurrectionis, mea cohonestent.* Eodem tempore Panormi P. F. Antonius Melitensis

obijt, quem post mortem veluti orantem, & lætissimo vultu subridentem reperierunt, signis multis in feretro perpetratis.

Anno 1558. Noster P.F. Michael de S. Dominico eximiæ religionis, qui post vitæ glorioſissimæ decursum, dum pestẽ laborantibus inseruiret eosdemque tumularet, peste occumbẽs in forma glorioſa B. Beltrando apparens, suam gloriam manifestauit.

Anno 1560. Noster P. F. Thomas à S. Ioanne, qui viginti sex annorum spatio in Indorum cultu laborans seipsum bonorum operum præbuit exemplar. Quem, obuiam Angelicam, tanquam Angelum cœli venerabantur. Cui B. Virgo apparens finem felicem fore prædixit, vnde hymnis, & canticis ad moriendum se accingens feliciter expirauit; signorum gloria corruscans.

Anno 1564. Noster P.F. Michael Zamorensis miræ patientiæ, & abstinentiæ vir, iugis orationis, & conuersationis cum Deo, qui in Mexico pijssimè obijt.

Anno 1565. Noster P.F. Petrus Bannes cum peritia literarum sanctitatem adiungens, & cum aspera pœnitentia spiritum orationis indefessum, qui Sanctam Matrem Teresiam de Iesu à prin-

cipio

cipio instruxit ad maximum perfectionis gradum adducendo, illique suadendo vt discalceatorum Carmelitarum recollectionem, opus insigne, intrepidè aggrederetur. Vnde,& B. Virgo Theresia refert in præmium tanti cõsilij Reginam cœlorum vidisse candido vestimento illum induisse, & eius animam, eidem virgini rectà absque repurgante igne in cœlũ euolasse, visam esse testata est.

Noster Sanctissimus Pius Quintus Pont. Max. fidei propugnator acerrimus, iustitiæ vindex, sanctitatis exemplar: cuius sanctitatem etiam Turcæ, & Hæretici formidarunt. Tanti viri processus Romæ Paulo Quinto annuente compilatus est, vbi heroicæ virtutes cum signorum gloria ad Christianæ Reip. solatium recensentur, ad canonizationis effectum, quem totus orbis auidè prestolatur. Anno 1576.

Noster P.F. Matthæus Galiadus, qui doctrina, prædicatione, optimis moribus, vita, & miraculis hæc omnia comprobantibus, tanquam gradibus quibusdam in cœlum peste correptus euolasse piè creditur, & PF. Frãciscus Berxias tantæ puritatis, vt plures confessarij, qui eius generalem confessionem audierant te stati sint, virginalem florem candidum, Anno 1579

dum, & illibatum seruasse: mortuus est 1576. in senectute bona, plena operibus bonis, post obitū vestigia perfectionis eximię relinquens.

Anno 1578. Noster Reuerendissimus Pater Seraphinus Caualli Generalis Mag. Ordinis, virtutū cultura clarissimus, pietatis zelo ardentissimus; religiosæ viuendi rationis assertor, & instaurator promptissimus; cuius stabiliendi, & confirmandi gratiā, tempore cum bellorum tumultibus hæresum procellis difficillimo, Vniuersa Europa peragrata, viribus diuturna fatigatione consumptis, Hispali diem clausit extremum; funus eius cohonestantibus Metinæ Sidoniorum Duce, & duobus Episcopis, magna populi frequentia, manus, & pedes osculantis ex pietate, & deuotione vestes præcidentis; pro magno munere cilicium asperum, & catenam ferream magnatibus flagitantibus.

Anno 1580. Noster P. F. Alphonsus Carus in simplicitate, & animi candore columbam imitatus, qui cum sanctissimum Eucharistiæ Sacramētum, flamma Ecclesiæ fores, & tectum, & parietis absumente, asportare vellet, impetu ignis è tecto cadentis præuentus, & combustus, hoc meruit, vt summum odorem combu-

sta

sta ossa spirarent, & igneus globus in aere appareret, & post tres dies eius gloria reuelaretur.

Noster P.F. Alexander Capocchi Florentinus omni virtutum genere exornatus, propemodum octuagenarius, illibatam animam creatori reddidit, bonorum operum fama vsque in hanc diem notissimus. Anno 1561.

Noster B. F. Ludouicus Beltrandus obijt 1581. beatificationis titulo ob vitæ sanctitatem, & illustria miracula decoratus ab Apostolico throno, propediem in SS. albo describendus expectatur. Anno 1581.

Noster P.F. Bartholomæus de Martyribus Archiepiscopus Bracarensis, Hispaniarum Primas, priscorum sanctorum Antistitum vitam ad vnguem æmulatus, inuitus ad Archiepiscopatum tractus, voluntariè illo relicto ad primam ordinis humilitatem rediens, sancto fine quieuit. Eius scholastica doctrina Concilio Tridentino satis innotuit. Eius libri de mystica Theologia, cum altero, qui & Stimulus pastorum dicitur mirificè Sanctum Carolum oblectabant, vt in mensa frequentius legi sanctus iste iuberet. Anno 1564.

Noster P. F. Nicolaus Alexius sacri ordi- Anno 1565.

nis legum obseruantissimus, linguarum peritissimus, qui multa scripsit, & docuit, sed maiora opere præstitit. Migrauit ad dominum in senecta vberi, vberes mercedes in laborum præmium reportans. Opinionem sanctitatis Episcopi presentia, & ciuitatis Perusinæ populorum concursu, ad veneres præcidendas pro reliquijs, contestantibus, ostendunt.

Anno 1586. Noster P.F. Bernardinus Paulinus Lucensis regularis vitæ repator, vir integritate, & doctrinæ excellentia conspicuus, vt opera eius varia eruditione referta tum impressa, tum manu scripta testantur: pientissimè vixit felici morte terram pro cœlo (vt piè creditur) commutans Neapoli in Conuentu S. Seueri. De eius integritate meminit Baronius in notis martyrologij die 30. Aprilis.

Anno 1587. Noster P. F. Petrus de Feria Vicarius generalis Floridæ Indiarum, postea Episcopus de Chiappa, miræ in pauperis liberalitatis, & charitatis, sancto fine quieuit, editis ad vtilitatem populorum Mexicana lingua Zapotheca multis pijs opusculis.

Anno 1589. Noster P.F. Aloysius Granatensis vitę integritate, & doctrina insignis, cui Gregorius XIII. testimonium perhibuit maius beneficium

um Ecclesiæ Catholicæ præstitisse sua operâ scribendo, quàm si cœcis visum, vel mortuis vitam restituisset. Sanctitatis opinionem posteris reliquit.

Noster P. F. Dominicus Ecya, ieiunijs, orationibus, mortificationibus, propriæ voluntatis abnegatione, & omni genere virtutum illustris, vsq; ad octuagesimum annum perueniens apud Mexicum defunctus est. Perhibetur deuotione Rosarij quendam sine exomologesi defunctum ad vitam reuocasse, tantisper, quãdiu sua peccata confiteretur. Anno 1591.

Noster P. F. Melchior Mosticensis Polonus in oratione feruentissimus in reparanda religione indefessus, in hæreticis confutandis accerimus, non tam verbo, quam moribus concionator eximius, qui & illud sibi dictum à quodam sene cum professionem emitteret, *Talem te serua in posterum qualem fore proposuisti, cum habitum induisti*, pro viribꝰ adimpleuit: nõ leui perfectionis fama, diẽ pariter clausit extremum. Anno 1592.

Noster F. Thomas de Cupertino Hydruntinus congregationis S. Mariæ sanitatis, in breui consumptus expleuit tempora multa, qui tanquam veteranus miles in palæstra religionis virtutum omnium specimen se præbu- Anno 1594.

it, vt brauium ſupernæ remunerationis innocentiſsimæ ante actæ vitæ, fini glorioſo coniuncta, obtinuiſſe exiſtimatum ſit, vixit annis 19. in religione quatuor.

Anno 1596. Noſter P. F. Iordanus Valleſoletanus admirandæ orationis, & abſtinentiæ, & cæterarum virtutũ cultor, Idololatriæ apud Indos euerſor, quem Dominus ſpiritu Prophetico, & alijs donis cohoneſtare dignatus eſt, cuius veſtes preciſæ à populis poſt eius mortem multa prodigia perpetrarunt.

Anno 1595. Noſter F. Paulus de Sancta Maria conuerſus laudabilis vitæ, & ſignorum gloria illuſtris, cuius vitam Hieronym. Morena deſcripſit.

Anno 1596. Noſter P. F. Hieronymus Curlus Tabienſis, qui prope ciuitatem Pennenſem, à populis in morte talis eſt habitus, qualis in vita bonitate refulſit.

Anno 1596. Noſter P. F. Vincentius de Sãcto Stephano conſtitutionum Prædicatorum ad vnguem obſeruantiſsimus, tanta perfectione effulſit, vt eum Dominus ſignis poſt mortẽ multis decorarit, quæ ex authentico proceſſu Archiepiſcopi Panormitani, collecta ſunt.

Anno Noſter P. F. Dominicus de Sancta Maria Pro-

Prouinciæ Hiſpaniæ, qui virtutibus, & miraculis coruſcans ſancto fine quieuit; cuius innocentiam confeſſarius in morte teſtatus eſt. Eius corpus poſt decennium integrum repertum eſt quod & litteris teſtimonialibus Vicarius Generalis Palentinus teſtatus eſt. 1598.

Noſter P.F. Euſtachius Dalæi exemplaris vitæ, & integritatis morum: ſibi, libris, & Deo vacabat, terrenarum rerum oblitus. Sancte obijt 33. ætatis ſuæ anno Bononiæ. Anno 1600.

Noſter P. F. Melchior Veracenſis Polonus vitę irreprehẽſibilis, qui Dæmonibus erat terrori, qui cum ſanus, & integer exiſteret illam diem vltimam eſſe diuinitus admonitus, ſibi adminiſtrari ſacramenta poſtulauit, & ſuper lectum recumbens oleo ſancto inunctus in Conuentu Vilnenſi placido fine animam efflauit. Anno 1602.

Noſter P. F. Dominicus Annadon, cuius vita, ſigna notiſsima nunc reticentur, qui mortuus eſt Valentiæ tanto populorum applauſu, ac ſi nouus eſſet S. Vincentius Ferrerius, cuius facta adamuſsim dum viueret eſt imitatus. Anno 1602.

Noſter P. F. Michael Benauides Archiepiſcopus Maniliæ vir Apoſtolicus innumera- Anno 1605

bilium gentilium regenerator, animarum ſibi creditarum cuſtos vigilantiſsimus, de quo confeſſarius teſtatus eſt ſæpiſsimè à Chriſto Domino ſibi apparente viſitatum. Dilectus Deo, & hominibus piè obijt, & in ſua Eccleſia ſepultus eſt cuius corpus poſt ſeptẽ annos integrum ac ſi die illa ſepultũ eſſet repertũ eſt.

Anno 1605. Noſter P.F. Iacobus Rebellus Luſitanus, qui in Regno Valentino famam ſanctitatis viuens, & moriens acquiſiuit.

Anno 1606. Noſter P.F. Antonius Landus Prouinciæ Luſitaniæ concionator Apoſtolicus, qui præter alias dotes virtuteſque egregias, oſtiarius eligens eſſe in domo Dei pauperibus eleemoſynas mira charitate, & humilitate eos in corpore, & ſpiritu reficiens, erogabat. Moriens populorũ cõcurſu ſpõtaneo cohoneſtatus eſt.

Anno 1607 Noſter P.F. Melchior Canus alter, quem & inſignis virtutum probitas, maximę virtutes, & præclarę apud omnes, qui eum nouere, eximiũ ſanctitatis, & religionis plurimũ cõmẽdauit: diem ſuũ mortis prædixit, cui etiam Angelum cuſtodem apparuiſſe perhibetur.

Anno 1608. Noſter P.F. Martinus Suarez concionator feruentiſsimus, qui in religione vixit annis 57. innocentiamque baptiſmalem ſeruauit, de

quo

quo dici solebat, *Ecce verus Israelita in quo dolus non est.*

Noster P. F. Ludouicus de Soto maior doctrinæ incomparabilis, omnium qui fuerant in Concilio Tridentino superstes, qui in sua morte eam puritatis imaginem expressit, quam viuens sibi parauerat. Claruit in Concilio Tridentino. Anno 1609.

Noster P. F. Petrus de Portillo vitæ, & signorum gloria illustris. Anno 1610.

Nostri P. F. Chrystophorus de Pardaue, & P. F. Ioannes de Castro fundator Prouinciæ Philippinarum, qui cum perfectionis opinione decesserunt. Anno 1611.

Noster P. F. Ioannes Ambrosius diuini cultus relator feruidus, aliarum virtutum mirificus sectator, cuius sanctitatem, quam ipse viuens sub asperitate conuersationis velut nucleum sub cortice tegebat, dignatus est dominus in funere aperire. Anno 1612.

Nostri P. F. Michael de Magnana Hispanus, & F. Didacus de Alderete, quorum vita, & sanctitatis opinio in actis capituli 1612. recensentur. Anno 1613.

Nostri P. F. Petrus Ioannes Guasch, & F. Iulianus Roig religione eximij, sanctorum o- Anno 1614.

perum

peurm multiplicitate cumulati, in pace migrarunt cum ſanctitatis opinione; miracula verò per F. Iulianum edita à Maioricenſi Epiſcopo comprobata ſunt.

Anno 1614. Noſter P.F. Seraphinus Capponi à Porrecta, cuius vita ad normam exactiſsimam ſacrarum conſtitutionum compoſitam, Dominus ſignis; & miraculis illuſtrauit, quæ tunc auctoritate Archiepiſcopi Bononienſis (poſtea Gregorij XV.) autentico proceſſu deſcripta ſunt, qui & calicem (in quo celebrabat deuotus iſte pater) ſibi pro magno munere donari poſtulauit.

Anno 1615. Noſter P. F. Marcus de Marthenſio Procurator Generalis Ordinis, qui iugum Domini in religione ab adoleſcentia vſque ad annum 74. vniformiter, & exactè, & indefeſsè portauit. Cum ſanctitatis opinione moritur, & clarus mundo extitit, qui ſeipſum quoque à ſeipſo occultauit. Neapoli tumulatus eſt in Cœnobio Sanctæ Mariæ ſanitatis. Eius vita, & ſigna Neapoli ordinario proceſſu ſunt examinata.

Anno 1617. Noſtri P.F. Dioniſius Lucenſis, & P.F. Dominicus Montagniolus Prouinciæ Sanctæ Catherinæ Senenſis eximiæ pietatis viri, verè

duæ

duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum, quorum primus in Ciuitate Aſculana magno populorum concurſu, & ſanctitatis opinione diem clauſit extremum: Alter Neapoli maximum vitæ, & doctrinæ promeruit teſtimonium: vterque in actis Capitulorum recenſentur inter fratres, qui glorioſè obierunt.

Anno 1618.

Noſtri ſunt P. F. Bartholomæus Cieta, & fr. Antonius Coreus, fr. Auguſtinus de Torres, & fr. Laurentius de Aſſumptione, fr. Gaſpar de Legura, fr. Didacus de Medelia, & fr. Petrus de Balmaſada, fr. Frãciſcus de Vega, fr. Alphonſus Peces, fr. Franciſcus Blancus, fr. Didacus de Oxeda, fr. Nicolaus Aguera, qui glorioſè obiere, & referuntur in actis cap. Vliſiponenſis, 1618.

Anno 1619

Noſtri P.F. Sebaſtianus Michaelis in Gallia reparator vitæ regularis, Hæreticorũ maleus, qui fidem catholicam, quam ſemper ſtrenuè defendit, & propagauit ſanctis operibus ſancte obiens obſignauit. Et in Italia in congregatione ſanitatis in conuentu Argentij obijt octuagenarius, P. fr. Modeſtus de Caſtro francorum modeſtiæ exemplum, vt cæterarum virtutum, quem virginitatis lauream cœ-

lo intuliſſe certis documentis deprehenſum eſt.

Anno 1620 Noſter P.F. Leonardus de Fuſco Litteren patientiæ, humilitatis &c. virtutum prototypum, qui in Cœnobio Sanctæ Mariæ ſanitatis de Neapoli cum ſanctitatis opinione deceſſit. Eius ſanguis è corde, & inteſtinis poſt quadraginta horas, cum exenteraretur effluxit, & ad hæc vſque tempora 1624. in ampulla vitrea aſſeruatus, recens rubicundus, ac fluidus, & incorruptus cernitur. Huius viri vita, & ſigna ordinario proceſſu examinantur.

Noſter P. F. Ioannes Riccius fratris Leonardi Cõfeſſarius, miræ abſtinentiæ, & ſacrarum conſtitutionum exactiſsimus obſeruator, in eodem Cœnobio ſanitatis moriens, non leuem ſanctitatis opinionem poſteris reliquit.

Anno 1622. Noſter P. F. Aloyſius de Aquino, virtutum omnium genere excultus, qui in Cœnobio auguſtiſsimo S. Dominici de Neapoli anno 1622. ſanctè obijt, vt & ſanctè vixit, & inter eos qui cum perfectionis opinione, propter hæc, & populorum concurſum qui ad eius ſepulchrum confluxerunt, recenſetur.

Noſtræ virgines, & viduæ illæ perbeatæ, hac extrema centuria probitate inſignes, Ma-

ria

ria Rhegiensis, Catherina Amata Barchinonensis, Prisca Soncinas, Domicilla Bononiensis, Theodora Florentina, Catherina de Raconisio (cuius vitam copiosè descripsit Ioannes Franciscus Picus Comes Mirandulæ) Lucia Narnieñ, Osanna Catharensis, Maria Florentina, Dominica Torres, Margarita de Carresio, Febronia Carpani, Catherina Riccia Florentina, Maria Raggi Chiensis, & Duciſſa Amalphi, necnon, & Duciſſa Andriæ, quæ sæculi spretis pompis cum opinione sanctitatis decesserũt Neapoli. Ibidem Soror Petronella virgo fælici morte defuncta est. His iunguntut Anna Rodriquez, Catherina de Herrera, Anna Sanchez, & Soror Benedicta Rosa Peruana, Sanctam Catherinam Senensem, imitata. Eius acta, & gesta suis probata sacræ rituum congregationi sunt præsentata per manus oratoris Hispaniarũ nomine Philippi IV. Regis Catholici. Hæ decretam semel pudicitiam, Deo consecratam aduersus carnis, & diaboli tyrannidem firmauerunt, seipsas Dño in perfectum holocaustum offerentes de mundo, carne, & diabolo triumphãtes.

Plures quis recenseat? illud testimonium satis sit posteris, vigilantissimi Generalis Mag.

Ord. Præd. F. Seraphini Sicci huius gregis Paſtoris, dicentis: *Pergit procul dubio ſanctiſsima noſtra religio in ſuis inſtitutis feliciter Dei benedicti, fauoris ſui aura adſpirante. Nos etenim pro noſtri muneris debito diuerſas Prouincias perluſtrantes, plurimos e proximo ſæpe aſpeximus religioſos, qui viam Dei primorum ſanctorum patrum veſtigiis prænotatam, magnis iiſq; continuis percurrunt itineribus*, an non ſatis vinea iſta dedit odorem ſuum?

In actis Cap. Vli- ſyppon. in Princ.

At fortè botri martyrum deſunt in hac vinea noſtris temporibus? an ita ſterilis ficus, vt non produxerit groſſos ſuos? nemo mortalium plures recenſebit. Hoc enim tempore in Indijs, naſcentis Eccleſiæ, cruentis ſæculis reuiuiſcentibus, tam in Germania, Gallia, Anglia, quam in orbe occiduo, inſtauratæ martyrum cædes, interpoliati cruciatus. Hos cernes diris laceſsiri verberibus, vulneribus ſæuis cruentari, illos cæde funeſtiſsima, eaque atrociſsima mulctari. In hos aptari cruces, contorqueri ſpicula, immite ferum exacui: in illos flamma excitari, crates ferreas, ignita ad torrendum inſtrumenta præparari. In hos feras immitti, in illos humanos dentes ſæuire mandendo, & deglutiendo ſanctorum carnes, & humanum cruorem in oſsibus capitũ, ne dum nefarijs dijs litare, ſed etiam potare.

De martyribus noſtrorum tẽporum ord. Præd. legẽdi ſunt Fer

tare. Hinc P. F. Franciſcus à Corduba, cum P. fr. Ioanne Garces, in Indijs occidentalibus pro Chriſto prodeunt trucidati: inde duo alij in Inſula Trinitatis prope Inſulam Hiſpaniolam necati. Quinq; alij eodē tempore apud Cumanam ferina barbarie occiſi, aſſatis comeſtiſque corporibus. Et P. fr. Iacobus à S. Petro eodem anno ab Agarenis, martyrio coronatur. Hinc P. fr. Dominicus Hiſpanus in orbe occiduo apud oppidum Chiribichi cum ſocio, à barbaris (conuentu ſolo æquato) in fruſtra conciditur. Inde P. fr. Ludouicus Cōcer, qui ex Prouincia Guatemala, vel Chiappa ſecedens, & ad Floridam dilatandi Euangelij cauſa perueniens cū P. fr. Didaco à Tholoſa, & P. fr. Donato de Fuentes, à barbaris diſcerptus, cœlos petiuit ſanguine laureatus: & fr. Hieronymus Ciranus ab Hæreticis veneno extinctus procedit.

nand z. in concertatione prædic. Et in hiſt. eccl. Lopez in 4. p. cētur. Michael Pius. Fern. anno 1515. idem anno 1516. idem anno 1525. idem. anno 1546. & 1544.

Hinc fr. Ioannes Excolfed, ab Hæretico vulneratus, occiditur. Inde apud inſulam Solor in India Orientali immaniter ſauciatus, fr. Antonius Peſtana gladio transfoſſus martyrium conſumauit.

Idem anno 1560

Hic P. fr. Renatus Priuetus magiſter ab Hugonotis ferreis forcipibus toto pectore di-

Idem anno 1567.

laniatũs, & è ſublimi præcipitatus, ſulphurea tandem glande ictus victor coronam adeptus eſt. Ibi P. fr. Ioannes Malchauſerius Prior Cõuentus Tholoſæ globulo pariter plumbeo proſtratus interijt. Similiter P.fr. Michael Sarberius Prior Matiſconenſis poſt præcipitium ſtrangulatur, & fr. Ioannes Nouitius ictu alabardæ occubuit. P. fr. Ioannes Bole Conuentus Engoliſmenſis, cum altero fratre ab Hæreticis pariter occiſus eſt. P.fr. Petrus Guillotus Magiſter Prior Conuentus Caſtrenſis, pugione transfoſſus in flumẽ abijcitur. In cuius palma etiam hoſtes obſeruarunt eſſe deſcriptum; *Credo in Deum.* Et P. fr. Franciſcus Picarſius in Rupellenſi cœnobio duobus alijs adiunctis Fratribus, etiam in mare demergitur. In eodem Conuentu Rupellenſi P. fr. Sebaſtianus Meunẽti Prædicator cum P. fr. Ioanne de Tirauilla ab Hæreticis laqueo ſuſpenſi. Alius item frater Sacerdos ibidem capite obtruncatur, quod tanquam trophæum manibus geſtare volens ſpiculator morte repentina mulctatus eſt. Ididem P. fr. Ioannes Carrera gladijs tranſuerberatur ſimiliter eiuſdem conuentus tres alij fratres, laqueo necati ſunt.

Ex eodem P. fr. Iacobus Magiſter effoſis primum oculis

dei

deinde virilibus abciſis, demum gladio percuſſus temporalem mortem cum æterna vita commutauit, ſicut, & P. fr. Ioannes Tortu, qui ab ijſdem hæreticis ſagittis confoſſus eſt. Alij ſimiliter in Conuentu Athouarenſi, & Picardia, & Normandia pro fide Catholica extincti, quorum nomina (vt piè credi poteſt) ſcripta ſunt in libro vitæ. Alphonſo Fernandez In iſt. eccleſ. Lib. 3 c. 16.

Hic in Prouincia Prouinciæ, pro fide Catholica crudeliter aleam prælij nolentes effugere enecati ſunt, P. fr. Nicolaus Sauxatus Neumaſenſis, P. fr. Ioannes Iunius Magiſter, & Prior Conuentus Alxeti, P. fr. Ioannes Argempſonius, P. fr. Antonius Vrſus, P. fr. Ioannes Miraballus, P. fr. Apollinaris Viénenſis, P. fr. Ioannes Chabaſſus Conuentus Diomenſis martyrio illuſtres, minime mortem tẽporalem expauentes, quos magis ęterni timor vrgebat incendij, agebatque vehementior flamma cœleſtis. Idem in annal. eodem anno 1597

Ibi in Prouincia Tholoſana Laureatus procedit P. fr. Leonardus Talarius ab Hæreticis ſtrãgulatus, & pugione confoſſus, & P. fr. Augerius de Monte alto ſupprior Conuentus Morlanenſis, catapulta interremptus occubuit: ac P. fr. Raymundus de Plano Morlanenſis Idem anno 1570.

nensis Conuentus, concionator, cui erutis oculis, & in cibum datis, nouissimè ab ijsdem Hæreticis necatus est. P. fr. Ioannes Fargale; P. fr. Antonius de Rosa; P. fr. Antonius Vuliers fame consumpti sunt, P. fr. Laurentius Fronconi viuus ab ijsdem pariter combustus est. P. fr. Robertus de Bellouisu Ecclesiastes insignis, membrorum articulis abscissis, & inter Hæreticos diuisis; in reliquo corpore decoriatus, sæua morte gloriam immortalitatis adeptus. Adeo sæuiebat efferatorum hostium Ecclesiæ rabies, vt non solum oculorum explerent sæuitiam, sed, & auidas manus sacris, fidelium membris implerent.

Excitatis verò tanquam classico ad pugnã, animis, & feruentis martyrij cupidine inflammati in Prouincia Franciæ, & congregatione Gallicana, fidem sanguine obsignarunt, P. fr. Robertus Caluanus conuentus Ebroicensis, ab Hęreticis sagittis confixus, P. F. Petrus Merentus, P. fr. Ioannes Picardus, P. fr. Ioannes Fenger, qui gloriosè pro fide Catholica occubuerunt: quorum viginti nouem martyrium glorioſi triumphi recensiti sunt anno 1571. in Capitulo Generali Romano, coram Pio Quinto, qui comitia generalia ordinis præ-

prædicatoris sua præsentia cohonestauit,

Hic in regno Syam à Mahumetanis pro Christo hasta confoditur, P. fr. Hieronymus à Cruce. Ibi in Belgio P. fr. Ioannes Colonienſis, grandi trabe suspensus præcordijs extractis, demum trucidatus martyrium cõpleuit.

Hic in Prouincia Occitana P. fr. Gulielmus Brelianus veneno extinguitur, minimè pocula venenata recusans, qui venenati draconis caput in sanguine cõfringebat; & P. fr. Gulielmus Bruni similiter ab Hæreticis obsessus, pro Christo moritur. Ibi in prouincia prouinciæ P. fr. Antonius Dulcius primo glande impetitus, gladio demum confossus, mortem non formidauit, quam in arena Caluariæ absorptam in victoria, agnoscebat.

Hinc in Prouincia similiter Occitana prodeunt P. fr. Sebastianus Meunctus; & P. fr. Raymundus Tyrauilla gladio percussi: & alij fratres, qui in puteum demersi, trophæum sanguinis erexerunt: Ibi ex Belgio P. fr. Martinus Faber pluribus vulneribus confossus, palmata veste incedit. In eadem prouincia Belgica; Holandia, Zelandia, Frisia, & Geldria, alij fratres prędicatores diuersis pœnarum, & mortis generibus examinati meruerunt præ-

Legendi Castill. p. p. lib. cét. c. 63.

Refcius ũ Phalarism lib. 2. Fernandꝰ sup Idem ann. 1570. & 1572.

Idem anno 1570

anno 1577 ville acta Cap Gen. 1588

anno 1578 vide acta Cap. Gen. 1580

mia æterna: In Germania vero superiori P. fr. Iacobus Zonger sæuissimè ab Hæreticis necatus, martyrij laurea redimitus in cœlis triumphat.

1580 vide Leon. Bel. in annali.

Hic in Germania inferiori P. fr. Antonius Temermonus Antuerpiæ laqueo primum suspensus, mox extractis præcordijs, membrisq; consciſsis, eius caput super hastam sublimatũ est, quod tanta luce refulsit, vt præ pudore, luminis vim sustinere non valentes Hæretici, illud amouendum curauerint. Ibi in Insula Solor apud Indos orientales hasta transfossus est pro Christo P. fr. Simon è Montanis, & vno ictu percussus vicit; accessit, triumphauit.

Eodẽ anno ex Fernandez sup.

Hic in prouincia Tholosana plures fratres prędicatores ab Hæreticis occisi recensentur, inter quos P. fr. Petrus Costa, suspensus occubuit. Ibi in orbe occiduo apud Insulã Hispaniolam P. fr. Ioannes de Sarauia, & fr. Ioannes Illanes laicus ab Anglis Hæreticis pro sacrarum imaginum cultu, cruore proprio æuiternam vitam compararunt, sicut & alter fr. in Insula Sancti Laurentij prope Mozambiq; veneno à Mahumetanis extinctus, & apud Armeniam fr. Paulus cum alijs socijs à Turcis in Christi odium trucidatus.

anno 1585 Fernandez

Ex eodem anno 1585 & 1585

Hic

Hic in Germania inferiori P. fr. Iacobus Faber Sacræ Theologiæ Doctor, Cathedraticus Regius Louanienſis, poſt diuturna tormenta gladio percutitur. Ibi in Regno Franciæ ex congregatione Gallicana Nicolaus de Monte, ſtudij Pariſienſis Regens, cum P. fr. Petro Turpin Baccalaureo in feſto omnium Sanctorum haſta transfoſsi cum Sanctis martyribus eo die meruerunt in cœlo aggregari, quorum paſsiones in terris ſunt imitati. Item P. fr. Ioannes Broinſin Baccalaureus ab Hæreticis ſuſpenſus, & P. fr. Ioannes cognomento Rex, patibulo affixus, alijq; fratres prædicatores dira perpeſsi ad cœleſte brauium peruenere. anno 1581 ex eodem

Ex actis Cap. Generalis Veneti.

Hic in Aetiopia orientali in prouincia Cuamæ prope Mozambique, P. fr. Nicolaus de Roſario à Barbaris interemptus, eiuſdemque cadauere in fruſtra conciſo, & decocto cibus eorundem efficitur. Ibi P. fr. Ioannes à pietate Conuentus Nozambucani, in eadē prouincia ab Ethnico regulo immaniſsimis vulneribus cruentatus, certamen forte meruit, vt vinceret. Hic apud Armeniam P. fr. Matheus de Naſcaſcen à Turcis occiditur. Ibi in Inſula Solor P. fr. Franciſcus Galaſſa Goenſis anno 1592 ex F. Iode Sactis p. 2. 69.

Fernandez anno 1597 & nos in noſtra hi-

ſtor. Chriſtianit Armen. 1697 & 1597.

à Barbaris ſpiculis confoditur.

Idem anno 1599.

Hic in eadem Inſula Solor P. F. Ioannes Trauazos Luſitanus, & fr. Melchior conuerſus, à gentilibus, quorum mores acriter reprehendebant, immaniter trucidantur. Ibi, verſus Malacham nauigans P. fr. Paulus à Meſquita ab Hollandis Hæreticis in odium fidei occiditur, ſicut ob eandem cauſam fr Gaſpar de Sa, & P. fr. Emanuel è Lambuao verſus Goam nauigantes à Barbaris Mahumetanis, enecantur. Item in Inſula Pagna prope Solor ab incolis gentilibus, P. fr. Hieronymus Maſcarennas, & P. fr. Simõ à Pietate, & P. fr. Petrus Vſuſmaris in India orientali, & P. fr. Gaſpar ab Aſſumptione à Malabaribus trucidantur. Item P. fr. Ioannes Suarez prope Solor, & fr. Petrus conuerſus in regno Mogar agitante veterioſo colubro dira moliente funera, irarũque virus in Chriſti membra euomente, à gẽtilibus paſsi ſunt.

anno 1602 ex 4. p. hiſtor. ord. præd. lib. 4 cap. 22. Fern. lib. Vlt. hiſt. c. 36.

Hic in Anglia P. fr. Rubertus, Nutteres, apud Ciuitatem Bancaſtrum ſuſpenſus, mox antequam ſpiritum efflaret præcordijs extractis, corpus eius conciſum eſt; & P. fr. Thomas prouinciæ Ocitanæ in eodem Angliæ regno crudeliſsimè necatus eſt, ibi P. fr. Ioannes

annes Maldonatus, & fr. Alphõsus Ximenez Cœnobij Vallisoletani alumni à Rege Syam in odium Christianæ religionis occisi. F. Alphonsus hasta transfossus, & fr. Ioãnes Bombardæ ictu interremptus est. Similiter in Regno Syam à Mahumetanis P. fr. Gaspar de Assumptione in fidei odium occiditur, & dũ hostiam offert, hostia Christi effectus est. Eod anno Idem Fern. Io. de sanctis 2. P. lib. 2. c 7.

Hic Petrus Morenus cum alijs quinque fratribus ad vineam Iaponẽsem excolendam destinati in itinere barbarorum sagittis confixi, lauerunt stolas suas in sanguine Agni. Ibi in regno Chilæ quinque domibus fratrum prædicatorum euersis, partim trucidati, partim in captiuitatem ducti sunt. In vrbe vero Valdiuia fr. Petrus Pecoa ab Indis hasta trãsuerberatus est, cum fr. Ioanne Vega laico: In Villarica fr. Paulus à Bustamante, fr. Ferdinandus Quando, alter nouitius conuersus cum quatuor alijs fratribus à gentilibus occisi. Similiter in Egolt P. fr. Martinus de Sanctis, & in Duau fr. Christophorus à Buiza triumphali agone ad cœlos euolauerunt. anno 1604 actis Cap. Gen. 1611. 1605. Ex actis Cap. Gen. Ro. 1608. Fernand. in concert.

Hic P. fr. Andreas Bouius ad prouinciam Valachiæ ad prædicandum à sacra inquisitione destinatus, post multos exantlatos labores, anno 1610 ex actis Cap. Gen. Ro. 1615.

post multorum ad fidem conuersionem, ab Hæreticis occisus est, & P. fr. Sebastianus Montanus ab Indjs sagittis opprimitur.

Hic tandem in Imperio Iaponis in ciuitate Nagasachi. P. fr. Alphonsus Nauarete capite obtruncatus, vbi Christi nomini barbarorum colla, & ceruices indomitas subegisset, illustre testimonium fidei perhibens, laponensis vineæ cultor eximius.

anno 1616 Ex Reuer. Lopez in 3. p. cent. cap. 53. & seq.

Anno vero 1622. 17. Augusti in ciuitate Nagasachi F. Aloysius de Flores lenta flamma absumptus, victor ad cœlum intrauit. Eiusdem vineæ laponensis cultores eximij P. fr. Thomas de Spiritu Sancto, alias de Zumaraga, P. fr. Angelus Orsuchi Lucensis, P. fr. Ioannes de S. Dominico, P. fr. Frãciscus Morales, P. fr. Alphonsus Mena, P. fr. Ioseph de Sancto Hiacyntho, P. fr. Hiacynthus Orfanelli, vbi infinitam gentilium multitudinem baptizassent, sæuiente persecutione Iaponica ad columnas ligati, igne lento diutissimè cruciati, martyrio coronati sunt. His adiuncti fr. Martinus de Sancto Thoma, & fr. Thomas de Rosario, & F. Dominicus Oblatus laponenses, qui in carcere obitum induti, & è carcere ad amphiteatrũ ducti, (fr. Mantio igni refer-

reſeruato) abciſsis ceruicibus religionem, fidemque, Catholicam ſuo ſanguine ſignarunt, in carcere vero mortuus eſt, F. fr. Ioannes de S. Dom. & è carcere aduolauit ad regnum. Ex relationib. miſsis à PP. Manilie, & authẽticis informationibus Archiep. Manil. Hæc noſtra ſtemmata, nimirum, vt quę dam in Apolo. deſcripſit Tert. dẽ Chriſtianis, *Expanſos vngulæ fodiant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, beſtiæ inſiliant, paratus eſt ad omnem ſupplicium*, prędicatorius habitus, noſtra palmata veſtis, cuius munus eſt ore fidem confiteri, ſanguinem obſignare.

Teſtes fragrantiæ eiuſdem vineæ ſunt, vbiuis gẽtium paſtores noſtri temporis loco diſſiti, religione concordes, Eccleſiam illuſtrantes, duo in primis Cardinei confeſſus viri illuſtriſsimi, & Reu. D. D. F. Auguſtinus Galamin⁹ Cardinalis Aracæli, & Cardinalis Cremonenſis fr. Deſiderius ſcalea ſupremi Inquiſitores; orbis, & vrbis ſydera fulgentiſs. veritatis aſſertores, prauæ doctrinæ hoſtes, domus DEI lapides magni, quos Spiritus DEI eiuſdem religionis, & dignitatis compage coagmentauit; qui diuino munere ad tam excelſum faſtigium ſublimati, minime de

de præstantia sui principatus gloriantur, quos non inflammat honor acceptus, sed exercet labor impositus. Verè ob virtutum præstantiam Deo, & hominibus dilecti. Inter Archiepiscopos emicant Reuerendissimi fr. Stephanus Dulcis Archiepiscopus Auinionẽsis, fr. Didacus Aluarez Archiepiscopus Tranensis nostrorum temporum Prosper, fr. Ludouicus Beruiaz Archiepiscopus Narbonensis, fr. Dominicus Valderama Archiepiscopus Insulæ S. Dominici, fr. Io Baptista Cittadinus Archiepiscopus Naxiuanensis. Inter Episcopos numerantur Reuerendissimi fr. Marcus Iustinianus Episcopus Chiensis, fr. Andreas Ballaguer Episcopus Oriolensis, fr. Simon Bausa Epicopus Maioricarum, fr. Ioannes Lopes Episcopus Monopolitanus, vir pientissimus, & doctissimus, fr. Ioannes Cabecas Episcopus Turris Iulienſis in Regnis Peruanis, fr. Ioseph Gonzales Episcopus, Palentinus, fr. Isidorus Aliaga Archiepiscopus Valentinus, fr. Ioannes Boorquez Episcopus Venetelensis in India occidentali, fr. Ambrosius Gozeus Episcopus Tribunensis, fr. Ambrosius Palomba Episcopus Vestanus, fr. Timothæus Caselius Episcopus Marsicensis filij

conuen-

conuentus S. M. ſanitatis, fr. Thomas Brandolinus Epiſcopus Minoricenſis, fr. Vincentius Camerota Epiſcopus Bethleem, fr. Robertus de Robertis Epiſcopus Tricaricenſis, fr. Gabriel Nari Epiſcopus S. Marci fr. Paulus Vrſinus Epiſcopi Montiſalti, fr. Albertus Cacamus Epiſcopi Liparienſis; fr. Vincentius Arigonis Brixienſis Epiſcopus Sibinici, fr. Nicolaus cofettau Epiſcopus Dardanæ, fr. Petrus de Herrera cathedraticus Salmaticenſis, Epiſcopus Canarienſis, fr. Hieronymus Tiedra Epiſcopus Charcenſis, fr. Thomas Torres Epiſcopus Paraguas in Indijs, fr. Franciſcus Cabrera Epiſcopi Truxilli in Peruanis regnis, fr. Ioannes Bohorque Epiſcopus Guaxaca in nouis Hiſpanijs, fr. Alphonſus de Sãtillan Epiſcopus Quiti. F. Ioannes Luſitanus Epiſcopus Macao in Indijs orientalibus, fr. Seraphinus Blancus Epiſcopus Engoliſinenſis. Hi omnes alijs omiſsis in partem ſolicitudinis aſſumpti à ſæuis luporum morſibus, & incurſibus dominicum gregem defendunt, vineamque frugiferam cæleſtis agricolæ mira ſolicitudine cuſtodiunt.

Teſtes Inquiſitores violatæ fidei ſupra quinquaginta, ipſumque ſacræ Inquiſionis

tribunal ſupremum; in quo Magiſter ordinis, & Magiſter Sacri palatij, Commiſſarius Sancti Officij ſuam pariter in conſulendo dãt operam, vt capiantur vulpes paruulæ, quæ morili ſatagunt vineas. Alibi etiam alij conſultores eiuſdem familiæ, tanquam Domini canes eaſdem vulpes, habentes facies quidem diuerſas, caudas tamen in vnum colligatas, ſagaciſsimè perquirunt, & inſectantur.

Lop. 5 præſent c. 75.

Teſtes Pontifices Maximi, Cæſares, Reges, Principes, & Reſpublicæ doctrinã Dominicanorum veterantes, qua in Concilijs, Congregationibus, deciſionibus pro Eccleſiæ Catholicæ adiumento, fidei confirmatione, Hæreſum extirpatione, morum diſciplina, vſi ſunt. Mitto quod Apoſtolici palatij Magiſtri, Comiſſarij vniuerſalis Inquiſitionis Romanæ, & per vniuerſam Italiam Inquiſitores alij, ex ordine iſto, Summi Pont. mandato aſſumuntur, & deſignantur. Mitto quod Carolus V. & Catholici priores, & poſteriores Reges, vſque in hanc diem eiuſdem ordinis viros à ſacris confeſsionibus delegerunt numerum 47. excedentes inter quos S. Raymundus, Iacobi Regis confeſſarius in ſanctitate principem tenet locum, & F. Ioannes

Entre-

Entrega Alphonsi Vndecimi Regis Castellæ secundum, cuius hortatu, opera, virtute, expeditio bellica aduersus Saracenos 25. millia peditum, & 14. millia equitum instructa est, ducentis millibus Maurorum occisis, alijsque Saracenis profligatis.

Mitto Lusitanorum Regum 14. Gallorum Regum 16. Poloniæ 20. & aliorum Principum confessarios recensere, vel qui eorundē concionatores Magistri, vel Præceptores extiterunt: satis enim est hæc fulgentissima sydera recensuisse, vbi non nisi tenebricosus, & luscus sit qui clariora desiderat. Alphonsus Fernandez in sua concert. pag. 479.

Testes insigniores Academiæ Theologiæ vniuersi penè orbis. Salmantina enim (quæ tandem à philippo III. perpetuo ordini nostro addicta) ab anno 1416. vsque ad præsens tales habuit primarios moderatores, vt merito nostri temporis Theologi, eos vt antesignanos venerentur, & laudent, nimirum PP. Fratrem Lupum Barientos, fr. Aluarum Osorium: fr. Didacum Dezam, fr. Ioannem de Sancto Dominico, & nunquam satis laudatum fratrem Franciscum de Victoria, è cuius suppellectili Hispania ditata est, & quicquid fermè hodie prodit in lucem, ad hunc fontem suam recen-

set originem. Illum insecuti sunt in scholastico certamine,& Cathedra eadem PP. fr. Melchior Canus, fr. Dominicus Soto, fr. Petrus Soto maior, fr. Mantius de corpore Christi, fr. Bartholomæus Metimnensis, fr. Dominicus Bannes, fr. Petrus de Herrea nunc, Episcopus Canariensis. Scholasticus insignis nouus Aioth vtraque manu pro dextera vtens in interpretando S. Thoma subtilissimus, & in scripturis Sacris exponendis profundissimus, cuius innumerę in positiua,& scholastica Theologia lucubrationes non dum impressæ, manibus omnium teruntur, euoluuntur, auidissimè expetuntur. Post quem P. fr. Franciscus Arauio, Cathedræ primariæ in substitutionæ moderator, successit vir doctissimus, & sapientissimus. Ceteræ Academiæ, vt Vallis oletana Complutensis, Coimbricensis, Ossunensis Compostellana, Toletana, Ouetẽsis, Granatensis, Hispalensis, Baiacensis, Valentina, Barchinonensis, Cæsaraugustana, Leridensis, Oscensis, Terraconensis, Mesicanensis, Limensis, Colonienſis, & Neapolitana (alijs omissis publicis, & priuatis ordinis eiusdem vniuersitatibus, & Collegijs) illustres habent in suis Cathedris professores solida doctrina

sancti

Sancti Thomæ scolares imbuentes. Præter hos, testes sunt quoque nuperi in omni facultatum genere Scriptores, quorum voluminibus Bibliothecæ sunt refertæ, quæ non cum blattis, & tineis certant, cum quotidie studiosorum virorum manibus atterantur, & lectitentur. Hi autem qui nondum prælo suas lucubrationes commiserunt, satis sunt vrbi, & orbi notissimi, duos reticere non possum P. fratrem Thomam de Lemos, & P. fratrem Nicolaum Riccardium, Sacræ Theologiæ Mag. Regentes; quorum primus in materia de auxilijs viginti, & vnum annis laborauit indefessus diuinæ gratiæ defensor, alter verò ob concionandi vbertatem, disputandi, & legendi subtilitatem, memoriæ tenacitatem Monstri nomen promeruit. His addo fr. Hiacynthum Coquentium Regentem Louaniensem præter multa opuscula impressa plura suo auctore digna meditantem, addo P. M. Reg. F. Io. Matth. Rispolis. Numera sydera, & arenas si potes.

Testes insigne illud Areopagum, Sacrum videlicet Tridentinum Concilium, in quo Patres illi amplis. dogmata, scripturis, traditionibus, Patribus, & Scholasticorum consensu,

& ſpecialiter Scholaſticorum principis Sacrę Thomæ Aquin. doctrinæ veſtigijs, & verbis inſiſtentes dogmata definiere, corruptos mores reformarunt, conſulentibus ibidem multis Theologis Dominicanis, partim à Summo Pont. Regibus, & Principibus miſsis, partim ab Epiſcopis ſecum adductis. Ibidem in publica congregatione, quidam à Duce Vuittẽbergenſi ad Concilium miſsi, quorum anteſignanus erat Io Brentius, publicè à ſapientiſſimo fr. Petro de Soto confutati ſunt; obſeruatumque ſit ex ſola Dominicana familia plures fere Epiſcopos, & Theologos extitiſſe, quam ex alijs ordinibus ſimul iunctis. Inſuper à toto Concilio editio Miſſalis, & Breuiarij reformatio, ſicut poſtea à Pio Quinto Cathechiſmi compoſitio, & ordinatio commiſſa eſt fr. Ægidio Fuſcario Epiſcopo Mutinenſi, fratri Leonardo Archiepiſcopo Lancianenſi, & fr. Franciſco Forerio primo ex Ord. S. Dom. cõgregationis indicis ſecretario, quæ magno totius orbis bono in lucem emiſſa ſunt.

Teſtes iam omnes oræ in quibus Euangelica tuba per Fratres Prædicatores intonuit, Idolis ora claudentes, Dei regnum gentibus importantes, fugatis inferorum agminibus,

aris

aris dæmonum eliminatis, delubris euersis, superstitionibus solutis, sacro crucis labaro in trophæum erecto, tetro diaboli regno abimis concusso, de Erebo triumphantes, opimis animarum exuuijs è Baratro ereptis, lætantes super animarum lucrum, sicut *qui inuenit spolia multa*, optabiliorem existimantes, hanc prædam *super aurum, & topasion*. Anno siquidem 1529. duodecim Fratres Prędicatores ad Collegij Apostolici instar duodeni sacrati numeri, aduersus Idolo latriã pugnaturi inaccessas noui orbis partes penetrantes, ijs qui nunquam audierunt de Christo fidem eiusdem annunciantes; diuisos, inter se diuersos populos, diuersis linguis pariter loquentes, Mexicana, Mistec a, Zapoteca, Otomitl, Chochna, Mixe, Chontal, Guatimacana, Cuicateca, similiter in alijs prouincijs lingua Ooxacensi, & Guatemalensi, in vnitatem fidei adunarunt. Fern. in cõcert. prædicat.

Horum opera vti voluit Altissimus, sicut, & aliorum Ministrorum ad destruenda simulachra Ægypti, vt atram illam sæculorum noctem, tristesque infidelitatis tenebras effugarent. Ad eum finem tẽtoria fixa à nostris, nimirum in occidentalibus Indijs, Prouincię septẽ. i. Sanctæ Crucis in Insula sancti Dominici,

ci, quę, & Mexicana, ſancti Hippolyti de Oaxac, ſancti Vincentij de Chiappa, ſeu Guatemala; ſancti Ioannis Baptiſtæ de Perù; ſanctæ Catherinæ martyris in Quito, ſancti Laurentij de Chile, ſancti Antonini de nouo regno. Addita eſt nouiſsimè prouincia Roſarij in Inſulis Philippinis. His adiunguntur congregatio Iaponenſis, & altera quæ congregatio Indiæ orientalis nuncupatur, & præter multa Cœnobia in his prouincijs contenta, erectæ ſunt domus ad catechiſtas alendos, vt ij nouis regionibus, ſedentibus in vmbra mortis, veritatis lumen oſtendant, & aduerſus efferatas gentes, vitiorum ſpectra, & frementium belluarium agmina (quorum ea erat immanitas, vt omnem exuerint humanitatem) certamen fortiſsimum ineant. Pro quo opere explendo, nec tenẽtur vinculis, qui vincula murenulas aureas exiſtimãt, non ferreo ſpectines expaueſcunt, qui lanceas ſuas in falces, & gladios in vomeres vertũt; ſcientes hac prædicatoria arte proſcindi glebas, agrorumq; culturas creſcere ad ſegetes; nec demum laminas candentes, ferrum, flagella, fuſtes exhorrent, quibus laurea donari, & victrici corona redimiri in perpetuas æternitates præſentiunt.

Teſt.

Testes hæreses extinctę; in Anglia enim, cũ sub Regina Maria paululum Catholici respirassent, opera P. fr. Bartholomæi de Carranza, Cathedræ Theologicæ erectæ, Hæresiarchæ exhumati, triginta millia hæreticorum, vel flãmis expósita, vel exilio mulctata, vel Ecclesiæ Romanę reconciliata sunt. Et per P. fr. Petrũ de Soto, & alios Dominicanos iuuẽtutis Anglicanę Scholastica explanata, fides expósita, vt merito dixerit Sanderus, quod sub his magistris sapientissimis, ita profecit Academia [ vt non aliunde hoc Catholicę fidei semen, quod Deus in tam diuturno subsequente schismate, & tã immani persecutione nobis reliquit, extitisse videtur ] In Polonia vero præter illos antiquiores Patres Beatum Ceslaum, in Wratislauia, Florianum, Benedictum, & Godinũ comites S. Hiacynthi cuius Floriani putatur esse venerandi senis bustum quod anno 1589. repertum est Cracouiæ in communi sepultura fratrum, Boguslaum procuratorem Canonizationis S. Stanislai, B. Vlricum Frisacensem discipulũ S. Hiacynthi Stanislaũ Kokoska, P. fr. Ludolphum. Posteriori centuria per P. fr. Marianum Hæreticæ prauitatis inquisitorem post Laodicensem Episcopum Suffraga-

Epist. Monop. p. 4. lib. 2. c. 33 hist. Dum. Sander. de schis. Anglic. lib. 2. pag. 351. Fernandez anno. 1558

neũ Cracouiensem, P. frm. Dominicum Malochowski qui post insignes pro fide catholica indefessos labores. Itidem Episcopus Laodicensis & Suffraganeus Cracouiẽsis P. frm Ioannem Cracouiensem qui postea Suffraganeus Plocensis, P. frm Hieronymum Inquisitorem qui Toruniam missus doctrina & dexteritate sua, multos ad gremium Ecclesiæ reduxit. Per P. frm Nicolaum Znenensem Inquisitorem qui & Iudæum Sacramentum Eucharistiæ dehonestantem in publica disputatione conuictum iussit in Publico foro Cracouiensi concremari. Per P. frm Melchiorẽ Mosticensem myriades seductorum ad fidem Catholicam reducti. Per P. frm Michaelem Mosticensem quo authore (vere nostri sæculi Chrysippo) Rutheni eiurato Schismate vnitatem catholicam amplexi sunt, & per alios plurimos doctissimos, & religiosissimos patres multi Hæretici, eorumque fautores confutati & præsertim cum illa fœx proscripta Italiæ Poloniam suis iniquis dogmatibus inficere conabatur Statorius, Stancarus, Socinus, Gentilis, Blandrata, Ochinus, tunc quãdo inquibusdam Comitijs Regni Petricouiensibus præsulibus nefariæ ex senatu ab Hæreticis

reticis iam exſibilitatis, cum apud Vchanſcium Archiepiſcopum Fricius miniſter auſus verbo erroris profanare ſacras illius ædes, obijciebant ſe illi Cyprianus (qui & ipſe ferè ſolus fidem catholicam Vilnæ in Lituania retinuit) poſtea eius vrbis Suffraganeus, F. Leonardus Baccalaureus, Gregorius, Melchior ſupradictus, & verbo & ſcripto clarus, qui cũ Auguſto Sigiſ. Regi Poloniæ Brentius & alij Blaſphemi blaſphemas ſchedas ad ſubſcribẽdum quaſi aliquod diuinum dogma auſi fuerunt offerre, iam manui Regiæ porrectum calamum excuſit Melchior; excuſsit & libros peſtiferos erroribus ſcatentes. In hac opera ſtrenuè laborabant Sarbinus, Velerianus, & cæteri multi. In eadem cultura intenti mirificam, meſſem reportarunt P. fr. Seuerinus Roxolanus Cracouienſis conuentus filius, procurator canonizationis S. Hiacynthi Hæreticorum acerimus hoſtis, P. fr. Fælix Siradienſis Mag. cõcionator ſuauiſsimꝰ, P. fr. Camillus Samborienſis Mag. Italiæ & Poloniæ vniuerſę prodigiũ, P. fr. Hiacynthus Suſcius Mag P. fr. Albertus Secouius, & alij quã plurimi. In Ruſſia quoq; non defuerunt re & nomine Magiſtri & Prædicatores feruentiſsimi. Prętereo

anti-

antiquos illos PP. Vicarios Generales soci-
etatis peregrinantium inter infideles P. fr. Si-
gismundum, P. fr. Petrum de Terrena, P. fr.
Ioannem Ianitoris, P. fr. Ioannem Fatinati,
P. fr. Christophorum Viterbiensem, P. fr.
Maternum, P. fr. Michaelem, P. fr. Nicola-
um Cingulatoris, P. fr. Ioannem Euangeli-
stam qui primus omisso titulo Vicarij genera-
lis quo alias vtebatur, titulum Vicarij cõtratæ
Rusię sibi ac posteris suis adinuenit. P. fr. Ma-
thiam Conradi inquisitorem Rusiæ, P. frm.
Andream inquisitorem Leopolienſem Rdiſ-
simum D. Gerardum primum Episcopum Ru
thenorum Rdissimum D B. Bernardum Epi-
scopum Halicien à Tartaris sera sectum Rdiſ-
simos D. D. Iacobum, & Gregorium Wy-
szkath Episcopos Kijouienses quorum cor-
pora sepulta sunt Leopoli in Ecclesia SS. Cor-
por. C. Ord. Præd. huius 1387. illius 1377. Ad
nostri sæculi rem dirigentes multi effullere vi-
ri doctissimi ac Religiosissimi per quos fides
Catholica in partibus illis Roxolanicis con-
seruata fuit & per successores eorum ad hæc
vsque tempora conseruatur ac defensatur per
P. fr. Lucam Mag. Leopolien quem Stanisla-
us Orichouius in Quincunxe refert grauissi-
mum

mum & copiosissimum esse Oratorem in quo fulmina Periclis vbertatem Demosthenis æqu' & eruditus talium rerum æstimator agnoscere non difficulter poterat. Nam rapiebat animos quo volebat, ita vt plerumque præ singultibus & ploratibus audientium vix sentiretur & in medio cursu quiescere opus haberet quoad vlulatus ille resideret, per P. fr. Isaiam Mag. Leopolien. per P. fr. Andream Præmislien Prædicatorem Generalem virum exemplarem, per P. fr. Antoninum Mag. Premislien reformatorē vitæ regularis in Russia, prædicatorē eximiū ac acerrimum defensorē fidei catholicæ qui semel atq; iterum Prouinciæ Russiæ Prouincialis præfuit multaque pro dilatatione SS. Rosarij scripta edidit, & alio contra Hæreticos quæ propè diem in lucem prodibunt reliquit, qui etiam sua dexteritate ab Illustrissima familia Lazłoueciorum hæresim pæstiferam abegit, per P. fr. Hiacynthum Baiczik de Prouincia Reformata Abruzzen qui conuentui Leopolien per superiores affiliatus verbo, exemplo, ædificijs Monasteriorum, mirum in modum Prouinciam Russiæ condecorauit reformationem q; sanctam vt pius pater Zelose promouit, P. fr. Christophorum Præ-

missionem Mag. Prædicatorem excellentissimum, P.fr. Victorinum Buscen P.fr. Ambrosiũ Vrzędouium Magistros & Prædicatores doctissimos, qui etiam Prouinciæ Russiæ temporibus suis pręfuerunt. Et alios multos nunc etiã in viuis existentes, quos ante mortem laudare minime licet qui totis conatibus satagunt vt spiritus ille diuinus qui erat in SS.P. Nostro Dominico, & verba quæ posuerat in os eius non recedant ex ore filiorum eius in partibus Russiacis à modo & vsq; in sępiternũ. In Germania, P.fr. Ioãnes Paulus prior Frisacensis, & P. fr. Seruatius Prouincialis: In Regno Galliæ, P. fr. Ioannes Regot prior Parisiensis hæreticorum incendia suis prædicationibus, & disputationibus extinxerunt, Quibus addimus fratrem Sebastianum Michaelis hæreticorum malleum, qui verbo, & scripto Caluinicolarum, præsertim Theodori Bezæ ora cõpescuit: Et P. fratrem Cosmam Morelles Inquisitorem Apostolicum Coloniæ publico congressu aduersus Caluinianos trophæa erigentem. Sed, & P. fr. Nicolaus Coefeteau concionator ordinarius Christianorum Regum Henrici Quarti; & Ludouici XIII. elegantissima volumina omni eruditione refer-

ta,

ta, scripsit aduersus caluinistas, & alterum aduersus eum, quē Angliæ Rex Iacobus ediderat, quatuor similiter volumina controuersiarū aduersus hæreses huius tēporis cocinando.

Testes in conuersione Gentilium strenuè laborantes in Regno Camboię P fr. Syluester Figuerous, & P. fr. Franciscus Morales. In Regno Satzumas apud Iapones, & apud Insulas Philippinas, P. fr. Michael Benauides, postea Manilię Archiepiscopus. Itē P. fr. Laurentius de Acugna. P. fr. Ferdinādus de Assumptione, & alij, qui ad petitionem Regis Congi, conuersioni Gentilium sedulo inuigilantes, vineā illam Dñi in Aethiopia sitam, quā prædecessores Dominicani primo plantauerant anno Domini 1491. nouissimis his temporibus mirificè instaurarunt.

Vide Fer. inconcert. præd. anno 1581. & 2. p. hist eccles. c. 8. & c. 31. Io. de sanctis 2. p.

Testes Armenorum populi, qui sub obedientia Romanæ Ecclesiæ per trecentos annos, nunquam interrupta successione Dominicanorum Antistitum sunt conseruati, & rursus per P. fr. Paulum Mariam Citadinum Vicarū generalem Persidis, & Armeniæ, à Paulo V. ad eas oras destinatum in eadem obedientia religione, fide cōsolidati, nō nullis eliminatis (locorum intercapedine, & temporis decursu)

In nostra Libro de Christia. Arm. Romæ. 1604.

Ex relationib. eiusdem. p.

ſu) abuſibus, moribuſq; reformatis, & alijs multis ſalubribus inſtitutionibus ſanctis ad decorem domus Dei ſponſæ Ieſu Chriſti pulchritudinem ordinatis, vt penè vinea iſta ad priſtinum ſplendorem, & ſpiritus feruorem ſicut ab initio plantata fuerat à P. fr. Bartholomæo Paruo ſit reſtituta, & maiores fructus ſperantur cum in demortui locum F. Matthæi Archiep. conſecratus ſit Archiepiſcopus Naxiuan. & ad eas oras ſit iterum deſtinatus ab Apoſtolica Sede.

Teſtes denique in Inſulis, & Regnis Angliæ, & Hiberniæ occulti, ſed Deo noti confeſſores, qui occultis Catholicis Sacramenta miniſtrant, tepidos in fide conſolidant, fortes ad martyria accẽdunt, vigilãtes ne leo rugiẽs rapiat infirmos. Horũ vltra triginta numero afflicti, carceribus, ne dum verbo, ſed & vinculis prædicant non recedẽdũ à fide, & charitate Chriſti, quæ tanto fœdere, & nexu humanam naturam diuinæ perſonæ copulauit.

Fernãd. in cõcet. prædicat. anno 1616.

Teſtes mores hominum ad normam diuinæ legis compoſiti, inimicitię recõciliatę, ſimultates ſopitæ, odia ablegata; nulla etiã eſt naturalis affectio, quã vel languentem ad bonum prędicando, & docendo religio iſta non

exci-

excitet, vel ad malũ excitatum nõ ſedet, vt & nullus impetus, quem vel non impellat remiſſum, aut furor, quem vel non ſuſcitet interemptum, vel nõ extinguat accenſum. Quot Xenodochia, & alię pię domus ad pia opera primitus conſilio, aut ope erectę? teſtis Romę illa domus ſanctę Catherinę propudititia iuuencularum tuenda fabricata, & ſocietas Annũciątę per fratrem Ioannem de Turrecremata S. R. E. Card. inſtituta, ad nubiles puellas collocãdas, quarũ dotes ſingulis annis Summus Pontifex, Cardinalium, Epiſcoporũ, Prælatorum, Oratorum, & Nobilium ſpectabili comitatu ad ædem Sanctæ Mariæ ſupra Mineruam aſſociatus, inter Miſſarum ſolemnia propria manu elargitur. Neapoli vero Spiritus Sancti Templum cum puellarum diſperſarum Cœnobio, prędicationis ſpiritu feruenti fratris Ambroſij Saluij Epiſcopi Neritonenſis cõſtructum eſt, ſicut & inſanabilium Neſocomium, à Maria Franciſca Longa conſtrui cœptum eſt adiuuante concionatore quodam Monopolitano Dominicanę familię, qui & fr. Hieronymus nuncupabatur. Cõtra blaſphemias, & temerariam iurandi conſuetudinem in Hiſpania ab ijſdem Dominicanis ſocietas

Di Anton. Caraccio. in vita B. Caietan. Thien.

nominis Dei primò instituta: & in Ecclesia S. Mariæ supra Mineruam à Fratre Thoma Stella Episcopo Iustinopolitano 1554. Sanctissimi Sacramenti sodalitas in memoriam tanti beneficij erecta est.

Testes Sacratissimi Rosarij sodalitates in vrbibus, castellis, oppidis per vniuersum orbē innumero fidelium concursu Deo, & Beatæ Virgini famulantes incredibili animarū fructu. Testes familiæ, domusq; ciuicæ, vrbanæ portæ erga Sanctissimam Dei param globulis, precarijs inflammatæ, vt nullus sit, qui se abscondat à calore eius.

Testes præter regularem obseruantiā quæ in omnibus Prouincijs viget, Prouincia Rosarij, quæ Insulas Philippinas, Imperia Iaponia, & Synarum, aliaque regna complectitur, sanctitate celeberrima, adeo enim ad vnguē cōstitutiones ordinis seruat, vt in ea primitiuus feruor, sicut in diebus Sancti Patris Dominici feruere videatur. Vnde non tantum verbo, sed & exemplo excitati populi Pangasinēses, Gaiayenses, Illocigalenses Christi nomen dedere apud Luzionas Insulas. In Iaponica vero latissimo Imperio, Regna Satzuma, Figen, & Fingo eorundem prædicatione, & actione

ctione lauacri sacri aqua lustrata sunt. Famigeratissima est in Gallia congregatio Occitana, ibi moribus excolendis, & litterarum sacrarum studijs fortiter incumbentes se ipsos, eosque qui eos audiunt, lucrari satagunt, & *vasa Domini fuerunt* (vt scripsit Gregorius) *qui proximorum animas ad æterna sacraria perducendas, in sua conuersationis fide suscipiunt, apud semetipsos*, Etenim. *Quantum debeant mundari conspitiunt, quia necesse est, vt esse munda studeat manus, quę diluere aliorum sordes curat, ne tacta quęque deterius inquinet, si sordida in se mens lutum tenet.* Notissima est Hispaniarum Prouinciarum obseruantia, vbi seipsos Deo hostiam viuentem patres illi offerunt, & sapientiã pro sponsa assumẽtes infinitam sobolem Christo pepererunt. Hi veluti Aaron, in pectore rationale iudicij vittis ligãt. *Quatenus* (vt scripsit Gregorius) *sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxę possideant, sed ratio sola constringat, ne indiscretum quid, vel inutile cogitet, qui ad exemplum aliis constitutus ex grauitate semper debeat ostendere, quantam in pectore rationem portet.* Quid memorẽ vtriusq; Lombardię & Roman. Prouincias? inquibꝰ si fidei ardorem laudo, charitatis præuallet incendiũ; si humanarum rerum contemptum, mortificatio supereminet: Nec solũ, vt scripsit Hieronymus *effusio sanguinis in martyrio reputatur sed deuotæ quoq; mentis seruitus immaculata quotidianum martyrium*

2. p. past. c. 2.

Supra.

In Epitaph. Paulæ.

*tyrium est, illa corona de rosis, & violis plectitur, ista de liliis.* In Aprutina Prouincia, & Regni (cuius seminarium est Congregatio Sanctæ Mariæ Sanitatis) Trinacria, Apulia, Calabria &c. habet quoque Deus milites suos, vt in omnibus, illud impleatur Isaiæ 27. *Florebit, & germinabit*, eodem enim tẽpore, quo in flore est virtutum, eodem tempore ex illa parte germinat, & floreſcit, & fructum affert: vt multo plures sint flores, fructus, & germina isto in horto concluso, quam de florenti folia, quæ proicit vẽtus super faciem terræ. Quæ si oculus hominis non inspiciat, ille inspici, qui nocturnas vigilias, silentium, pannosa & lacera indumẽta, ieiunia, latentes in corde dolores, & genas lachrymis, tanquam vnionibus respersas intuetur. Et ex his castris quotidiè è terra non pauci transmittantur ad cœlos, quos si non videas, non mirum, nec Sanctus Dominicus in spiritu raptus videre suos potuerit nisi sub paludamento Virginis castrametatos.

Testes tandẽ, vel ipsi hostes Ecclesiæ, quã enim inter cæteras religiones auersi sunt? nostram. Quæ præcipuè templa demoliti sunt? nostra: quos Conuentus auidius solo æquarunt? Nostros. qui? hæretici perduelles in Anglia.

Anglia supra 40. in Scotia 15. in Gallia fermè 40. in Polonia 17. in Germania 200. in Dacia 20, in Norimberga, & Holandia plusquam 20 Quis Turcæ. nam in Vngharia 7. in Regno Cypri 64. in Terra Sancta 18. Conuentus deuastarunt. Quis Gentiles in Indijs qui multos conuentus tanquam botros in primo flore deuastarunt. Vsque ad septingentos Cõuentus ab ijs omnibus deuastatos scriptores recensent.

Ipse quoq; patellæ aureæ, argentei calices, sumptuosa donaria, opulenta Ecclesiarum Gaza, quæ noui Nembrodes dissipauerũt depeculando Ecclesias, demonstrãt religionem istam, eam habuisse, & habere in Ecclesia Dei excellentiam, quam habet oculus in corpore, Sol in cęlo, Senatus in Ciuitate, Ciuitas in Regno, & Rosa inter florum gemmas ad venustatem, quam inter gemmarum flores, ad æstimationem non exiguam carbunculus obtinet dignitatem.

Sed si non libeat hanc familiam prędicatoriam sub typo vineæ admirari, saltem vt custodem vniuersalis vineæ Ecclesiæ Catholicæ in canis symbolo venerare. Et quidem vt verbis Greg. Nazianz. vtar, *Canis* (ordo noster) non

In laudem Heronis.

*nõ petulãtia, atq; impudentia, sed vitæ libertate, non oblatratione sed recti custodia, noctibusque illis quas pro animarum salute peruigiles traducit. Atque eo etiam nomine canis, quia virtutis familiares mulcet, externos latrando infectatur.* Latrando, & tacendo suam fidelitatem ostendens.

## CAPVT XXIV.

### De florida, & frugifera vinea nostri temporis Sancti Francisci, gemitibus columbæ deplorata.

AD Seraphicam Religionem S. Francisci oculos dirige. Aspice quot grossos produxit hæc arbor procera, quot sanguine purpuratos præmisit ad Regnum, nostra & patrum nostrorum memoria. In Prouincia Cumana apud Indos Occiduos, Conuentu in fauillas redacto, P. fr. Dionysius, capite fustibus pcusso, spiritum Deo reddidit, cæteris patribus in fugam conuersis. P. fr. Bernardus Cusinus ab Indis Chichimecis positus in signum ad sagittas cum illæsus euasisset, sagittis in ipsũmet sagittarium retrouersis, demum ab alijs Idolatris cruciatus, & occisus agonẽ compleuit. P. fr. Ioannes de Tapia ab Indis, qui

Gonz. p. 4 pag. 1277 anno 1566

Vide F. Al

qui dicuntur Guachichilles, apud Mexicum in montibus de Zapotecha impetitus, Christi hostia effici meruit. P fr. Ioannes Serranus per Indos Zapothecas sagittis confixus victor migrauit ad Christum. Apud Mexicum P. fr. Franciscus Lopez à Barbaris telis confossus lauream triumphalem adeptus est: eius in prædicatione comes P. fr. Ioānes à S. Maria è cacumine montis ab Indis præcipitatus ad superos euolauit. In eadem Prouincia Mexicana P. fr. Augustinꝰ Rodriquez ab Indis, quos acriter de peccatis arguebat, occiditur. P. fr. Alphonsus de Villalobos sagittis transfigi meruit in corpore, cuius cor Christi charitas, quæ ad mortem sagittare nouit, iam pridem vulnerarat. Vitam pariter largiter pro Christo profuderũt ab Indis Mechiocanis, & Xaliuiscanis occisi. P. fr. Iaonnes Calenes (cuius corpꝰ postea incorruptũ, & suauissimè fragrãs repertum est) & P. fr. Antonius de Collare diuini verbi declamator insignis, & P. fr. Frãciscus Laurentius cũ socio q capitibus, acutissimis instrumentis, dissectis, ex carnificati spiritum Deo reddiderunt. Similiter alij martyrium consumarunt. P fr. Franciscus Donzellus Guardianus transfigitur; P. fr. Ioannes Pizarius

phõs. Fernand. in cõcer. præ dic. li. 1. c. 14.

Gõz. pr. p. de origin. Seraph. relig. pagi. 105.

F. Marius Vlisypon. Epus in hist. Franciscana.

Gõz. p. 4. pag. 1189. & 1250.

Gõz. pag. 1305. 1338

zarius ad collũ proprio fune ligatus, per dumeta, & tribulos crudeliter tractus, demum ſuſpẽſo ſpiritũ Deo reddidit, P. fr. Ioãnes de Padilla poſitus vt ſignũ ad ſagittas, mori pro Chriſto meruit, & P. fr. Ioannes de Ayala à Barbaris capite obtruncatur, ſimiliter, & P. fr. Paulus de Azeuedo cum ſocio, fr. Ioannes de Ferraria ſagitis interempti ſunt.

Gonzaga 1119.

In India orientali P. fr. Melchior de Viyſipone Cuſtos prouinciæ Indiarum, ſagittis, & lanceis confoſſus. P. fr. Martinus, de Guardia capite obtruncatur. P. fr. Ioannes Eluaſius cum P. fr. Sixto eius ſocio. P. fr. Franciſcus item Sacerdos, & P. fr. Stephanus Sacerdos, & fr. Ioannes Clericus pro confeſsione fidei immaniſsimè necati, digni habiti ſunt corona vitæ. fr. Antonius Laicus gentilium gladijs gloriosè occubuit. Apud Iapones in Nagaſaqui ſex religioſi, martyrum primitiæ eiuſdem ordinis, feria ſexta in crucem acti, ne dum crucem poſt Dominum portare, ſed in ea affigi meruerunt. quorum latera lancea quoque ſunt perforata: Nomina eorum quę ſingulis crucibus deſcripta, hæc erant, P P. F. Petrus Baptiſta, P. fr. Martinus de Aſcenſione, P. fr. Franciſcus Balamus Sacerdotes, & præ-

Fern. lib. 1. hiſt. eccl. c. 27.

& prædicatores. fr. Philippus de Iesu Accolythus, fr. Franciscus de sancto Michaele, & fr. Gonzales & fr. Garzias conuersi, quorum corpora à militibus custodita, ne à Christianis tollerentur, nouem mensium spatio incorrupta permanserunt.

Nonnullos ab Hæreticis occisos recenseamus. In prouincia Francię gloriosè occubuerunt Patres Franciscus, Dionisius, Pontanus Nicolaus à Lotharingia, Ludouicus Gripius, Petrus Bichet, Petrus Stoes, Ioannes Benedictus.

In Prouincia Galliæ Parisiensis, F. Petrus Gofeth & fr. Iulianus Maignensis concionatores laqueo præfocati sunt, fr. Ioannes Mecensis diaconus post dicta tormenta glande sulphuras ictus. P. fr. Ioannes Buni pugione confossus victor occubuit. F. Gulielmus de Monte magno primum præcisis naribus, & auribus, mox sclopetorum pilis extinctus est. In terra Bles P. fr. Ioannes Voysin abscissis genitalibus in flumen demersus est. Eiusdem quoque prouincię Parisinę martyres numerantur. P. fr. Nicolaus Trieti. P. fr. Liot. P. fr. Oliuerius Iulianus. P. fr. Ioannes Brusso. P. fr. Dominicus Godar, Soror quoque

Fern. lib. 5. c. 19 Bezius de signis 57. c. 23. Gonx. 1. P. pag. 102.

Ioanna parua in conuentu Mauritaniæ plumbeis globulis occisa martyrij aureola decorata est. In prouincia Turoniæ pro fide occisi sunt PP. FF. Petrus Odius, Iulianus Gileer, Io. Giuidrius, Rodulphus Gramet, Ioannes à Lusia.

Fern. lib 5 c. 19. In prouincia vero Turonensi P. fr. Michael Grelet laqueo suspensus, qui & Hæreticorum ductoris, antequam præfocaretur, mortem prænunciauit: quod rei exitus comprobauit: P. fr. Petrus Booneau, similiter in patibulo suspensus est; & P. fr. Ioannes Virolaut mortem sæuissimam pro Christi fide sustinuit. Item ibidem occisi sunt P. fr. Petrus Cosetus, P. fr. Gulielmus Cunctiuius. In prouincia Lugdunensi crudeliter trucidari passus est P. fr. Ioannes Corietto; qui ne caput S. Bonaueturæ Hęreticis, qui eiusdē corpus in Rhodanum proiecerant reuelaret, crudelem mortem sustinuit, P. fr. Ioannes Gibbosius truncatis auribus, & naribus, à Caluinicolis in flumen proiectus est. P. fr. Ioannes Bassonus, fr. Franciscus Borgonius, P. fr. Antonius Malinensis, & P. fr. Stephanus Corrantius, suo quoque martyrio illustre fidei testimonium perhibuere. Similiter P. F. Paulus Tonolier,

er, & P. F. Tosantius Forinius à Caluinistis interempti sunt. Seua morte etiam trucidati, P. fr. Franciscus Paredius, & fr. Claudius Monearetus.

In prouincia S. Ludouici apud montem Pesulanum P. fr. Antonius Brunellus cum socio, P. fr. Pontio Chaysi diacono; P. fr. Nicolaus Bermundus, & P. fr. Andreas Robertus conuersus, felici agone pariter migrarunt ad Christum, P. fr. Baldasar Pratus, P. fr. Ioannes Chaluetus P. fr. Gulielmus Scofre, P. fr. Ioannes Lantret egregie martyrium consumarunt.

In prouincia Aquitaniæ P. fr. Petrus de Monte pulchro, fr. Gulielmus Petiachus, fr. Stephanus Regnauus, & fr. Didacus Lambertus, P. fr. Gerardus Malmerius cum alijs decem, & P. Guardianus Conuentus Vauri coronam martyrij adepti sunt: similiter & alij multi, qui in Galliarum prouincijs occisi, tanquam triumphatores palmam acceperunt. Sic ergo tanquam botri vineæ expressiæ sunt hæ animæ sanctæ, vt in spirituale vinum defluant, quæ carne corruptibili exutæ, ad regna cœlestia, velut in apothecam currant: nam iniusti, dum iustos deprimunt quasi botros sub pedibus mittunt; compressi autem botri ad superni conuiuij sacietatem exuberant, Ex Greg. mor. c. 23. li. 16.

qui prius quasi in huius aeris libertate pendebãt. Rursus sub Henrico III. Galliarum Rege persecutione Hugonotica aduersus catholicos insurgente in prouincia S. Ludouici, P.fr. Claudius Faber, P.fr. Animundus de Sabaudia, P.fr. Ioannes Capucius, & fr. Petrus Manquius, & fr. Antonius Carbonarius conuersus martyrij laurea donati sunt. In Custodia Pictauiensi P. fr. Michael Desmans, & p. fr. Ioannes Malaus, p. fr. Ruelon Custodius Magister: p. fr. Yuo Boer licentiatus in Theologia illustre martyrium passi sunt.

Fern. lib. 3 c. 21.

Idem lib. 3. c. 19.

In Prouincia Aquitaniæ P. fr. Dominicus Veraldus, p. fr. Ioannes Corerius, p. fr. Matutinus de Pulcrouisu, p. fr. Carolus Lusachius, p. fr. Petrus Vaboleſius, p. fr. Arnaldus Viganultus, & alij glorioſa morte ad cœlos transuolarunt. Sapienter dictum est, quod *Ecclesia electorum floribus vernans, in pace habet lilia, in bello rosas.*

Cyp., epi. 8. & Beda in princ. c. 31.

In Hibernia P. fr. Patricius Episcopus Maeonensis cum socio P.fr. Cõnuchio à Reucerchæ illustre martyrium subierunt. In Anglia P.fr. Augo Richeus, p. fr. Ioannes Foreſtus p.fr. Riccardus Risbeus. p. fr. Antonius Brobreus, & p. fr. Thomas Corto pro cõfes-

sionis

sionis gloria occisi meruerunt renasci in Cœlis, dum vitam mortalem perdiderunt in terris. Similiter 32. Patres carceribus mancipati gloriosè consumpti sunt. Gonz. pag 104 & 852.

In Germania inferiore in Belgio P. fr. Daniel de Arendoch. Guardianus fr. Alchmacianus cum alijs quatuor fratribus eiusdem ordinis. & p. fr. Nicolaus Pichius Guardianus conuersus Gorcomeani, cum alijs decem & alij plurimi in eadem prouincia per ascensum purpureum, hoc est tribulationem sanguinis, ad regnum peruenerunt. In eadem prouincia patres fr. Gulielmus Gouidanus, fr. Ioannes Amsterodamus, fr. Ioannes de Quito, p. fr. Franciscus Merbecanus, fr. Reinerius à Lintris, Theodoricus Loet palmam quoque martyrij reportarunt. Fern. 3. p. c. 40. Gonz. Leo Belgic. anno 1580. Gonz. 3 p. pag. 990. in Germania inferiori.

O vere beata Religio, quam vincentium gloriosus marryrum sanguis exornat, & candida induit virginitas, floribus eius nec rosæ, nec lilia desunt. Certent igitur singuli amplissimas accipere dignitatum coronas, vel de Virginitate candidas, vel de passione purpureas in cœlestibus castris, pax & acies habent flores suos, quibus milites Christi coronantur. Ex Aug. ser. 37. de sanctis.

Ad Confessores pergo. Occurrunt p. fr. Motolinia (de quo infra) vnus è duodecim primis Franciscanis, qui Indias Occidentales Boz. lib. 57. c. 21. Gonz 4. p. pag. 1235.

penetrarunt: tantæ sanctitatis, vt alter Elias modo pluuias, modo serenitates oratione impetraret; & p. fr. Ioannes à sancto Francisco diuinitus linguæ Mexicanæ cognitionem assecutus, qui quantum fructum ex prædicatione reportauit, baptizatorum multitudo demonstrauit, multa miranda patrauit, atque prædixit sancto fine quiescens anno 1556.

Alij etiam memorandæ sanctitatis viri eorum aggregantur numero, quos placet recensere, vt eorum memoria in sempiternis benedictionibus sit. p. fr. Martinus Valétinus vir eximiæ sanctitatis, vnus è duodecim qui primũ Indos occidentales adierunt annno 1524 eam messis portionem reportauit cum socijs, vt singuli anno 1531. plusquam centum millia Indorum baptizarent. Ad eum perfectionis apicem peruenit, vt non semel orans expansis brachijs in modum crucis in aere eleuatus visus sit, vt nimia lux intuentium quoque oculos perstringeret. Miraculis clarus naturæ concessit diẽ sui obitus prędicens, cuius corpus post triginta tres annos integrum incorruptumque remansit; quod inuisens Ioannes Quetus olfatu priuatus odorem persensit, & fragrantia, sensus ille sibi restitutus est. Extãt

Gonz. 4. p. pag. 1251.

huius

huius viri litteræ ad p. Comissarium descriptę apud Gonzag: 4 par pag. 1259. vbi plusquam decies centum millia Indorum à Franciscanis baptizata absque Hyperbole attestatur. p. fr. Andreas ab Olmo anno 1528. easdem Indias penetrans, quadraginta tres annos in ijsdē perlustrandis, & circuendis vt populos illos ad Christum adduceret, fœliciter insumpsit, Demique post multos exantlatos labores fęliciter obdormiuit in Domino. Multa miracula edita sunt in eius sanctitatis testimonium: nam prętерquam quod corpus eius fulgere,& suauiter olere visum est; ex tumuli eius puluere ægris sanitas quoq; collata perhibetur.

P. Fr. Franciscus Colmenarius triginta quinque annos expendit in Indorum spirituali cultura,tanquam bonus operarius multiformis gratiæ Dei; cuius prædicationem contestata sunt non tàm signa, quæ Dominus operari dignatus est, vt eius litterę ægrotos à morbo liberarent, quàm dura, & acerba (quę maiora Apostolatus sunt signa) quæ pro Christo perpessus est. Ad quem tandem expleto huius cursus agone feliciter aduolauit. Gonz. sup pag. 1274. Idem pag. 1330.

P. Fr. Franciscus Soto, quem etiam concionantem Indi immensa luce circumfusum vide- Martinus Villippo. Epis. Port.

p. 5. lib. 8. Gonz. p. 4. pag. 1252. viderunt. Et fr. Martinus de Iesu tantæ virtutis, & sanctitatis fuit, vt supra sepulchrũ eius cęlesti lumine irradiatus, maximoquæ fulgore coruscans visus sit.

Gonz. pag. 1289 p. 4. P. F. Ioannes de Zumaraga Archiepiscopus Mexicanus post multa virtutum insignia, & sollicitam sui gregis custodiam sancto fine quieuit. Eius corpus ad huc esse integrum fertur, & Deum per eum multa edere mirabilia. Obijt 1548.

Idem pag. 1252 P. fr. Petrus Gandauensis Lacius post centum templa Christo dicata, & innumera Gentilium delubra confracta, collegia erecta, & innumeros labores pro Euangelij dilatatione susceptos, sancto fine migrauit ad Christum. Oblationes in eius funere tot, tantæque fuerũt, vt Cœnobium Mexicanense completum sit. Ferunt cum esset impeditæ linguæ, vt vix à fratribus intelligi posset, quod eum concionantem Indi distinctissimè audirent. Obiit anno 1572.

Idem pag. 1256 P. fr. Toribius Motolinia eximij spiritus vir, qui pluuiam siccitatis tempore, oratione qua plurimũ delectabatur, impetrauit. Mortis suæ articulum præuidit, quæ prætiosa fuit in conspectu Dñi, & laborum suorum gloriosius

sus fructus, cum quatuor centum millia Gentilium baptismatis vnda respersérit, & Christo acquisierit. Eius funus cohonestatũ est prę sentia Petri de Ayala Salisćæ Episcopi, qui partẽ habitus abscidit in testimonium sanctitatis.

P. fr. Franciscus Ximenius vir in excolenda vinea Domini indefessus; puritate, & integritate eximius; Deo, & hominibus dilectus; regulæ tenacissimus obseruator: qui & Episcopatũ Tauastensem à Carolo Quinto oblatum recusauit. Sancto fine quieuit in Cõuentu Mexicano S. Francisci. Ex asseruato eius digito odorem spirasse, eiusdemq; obitum fr. Danieli laico, qui ducentum viginti milliaribus ab eo conuentu distabat, prædictum esse testantur. Idem pag. 1237.

P. Fr. Alphonsus de Ascalona vir Apostolicus, qui alias nudis pedibus vna tunica contentus absque galero iter conficiebat, è Mexicana Prouincia Guatemalam adiuit, vbi cum ætatis suæ anno 72. linguam Guatemalam à Mexicana diuersam in prædicationis gratiam didiscisset, multam operam in propagatione Euangelij impendisset, sex annorum spatio ibidem commorãs cum prouinciam pedester, vt assolebat, visi- Idem pag. 1240.

taret, hyemali tempore in frigidissima valle, ei obuiam factus Hispanus quidam tãtam patientiam admiratus cohibere se non potuit, quin diceret. Ob decem pios viros Abrahami tẽpore perpecit Deus Sodomę, & Gomorræ: sed hodie propter sanctum hunc religiosum orbi parcet vniuerso. Occultas Fratrum tentationes agnoscebat, vnde eos ad se vocãs mirabiliter cõsolabatur. Ætatis anno 88. post quinquaginta annorum labores pro cultura Indorum exantlatos, euolauit in cœlum: cuius corpus proprijs humeris patres Conuentuum Sancti Augustini, Sancti Dominici, & aliorum Ordinum portarunt, in arca lignea concludentes, quod & postea integrum, suauissimoque odore aspersum obseruarunt.

Idem pag. 1144 P. Fr. Lucas de Almodobar laicus ægrotantium minister, tanta fuit charitate repletus, vt à Domino donum, & gratiam curationum meruerit. Mortuus est in Cõuentu Mexicano anno 1550. eius discessus tempore in aere super domum, in qua ægroti curabantur, maxima quædam Crux splendere à quibusdam visa est, & eo temporis articulo animam exhalasse comprobatum est.

Idem pag. 1145 P. F. Ioannes à Perspiniam vnus è duodecim

cim fundatorib⁹ prouinciæ sancti Euãgelij, tãto ardore in cathechisandis, & tingendis Indis ferebatur, vt nunquam ab hoc labore vacãs Indorum martyr diceretur. Meruit à Domino illud castitatis donum precibus, & abstinentia, vt libidinis perturbationes non sentiret; mirifice dilectus etiam ab Indis, vnde infiniti accensis cereis, & lachrymis eius funus cohonestarunt.

P. F. Antonius de Nuete 24. annis in dicta Mexicana prouincia commoratus est operibus charitatis iugiter, & indefessè intendẽs. Hic nulla ægritudine præcedente in vesperis S. Michaelis, ad valetudinarium se cõferens; postulatis receptisq; omnibus diuinis Sacramentis, fęlici agone expirauit: vnde ad eius particulas vestium præcidendas, vbi mors innotuit, populus occurrit, ob eximiam quam de tanto viro conceperat sanctitatem. Idem pag. 1240

P. F. Alphonsus Oordonnez maxima austeritate, & abstinẽtia vixit, semel in die & parcè cibum sumens, vinum vsq; ad decrepitam non bibens. Lectionem cum oratione coniungebat; admirandæ obseruantiæ suæ regulæ; obedientiæ promptę; paupertatis, humilitatis, zeli, & deuotionis speciem posteris reliquit Idem pag. 1243.

liquit. Tanti fuit apud Deum meriti, vt solâ benedictione Indam à diabolo obsessam liberaret: demum susceptis Ecclesiæ Sacramentis bonorum operũ plenus, migrauit ad Christum anno 1584.

Idem pag. 1261 P. Fr. Michael Carrouillas, tanto virtutum fulgore enituit, vt eiusdem regionis incolas ad benè, Christianèque viuendum inuitaret: nudis pedibus vsq; ad senectam incessit, paruo iusculo, & insipidis contentus herbis, centesimum annum in hac austeritate attigit: qui demum Ecclesiasticis Sacramentis munitus fœlici morte obdormiuit in Domino.

Idem pag. 1265 P. F. Andreas de Castro vbi secundo itinere 1540. ad Mexicanas oras aduolasset, totum se conuersioni Indorum tradidit, asperrimos montes, & inaccessibilia loca perlustrans, vt latitantes Barbaros Christo lucrifaceret. Singulis Dominicis, & diebus festiuis, ternas diuerso idiomate conciones habebat, vnde facile non est recensere quot infideles ad fidem conuerterit, lauacro sacro intinxerit, idola comminuerit. Sed ne dum alijs prædicaret, ipse reprobus efficeretur, castigabat corpus suum ieiunijs, vigilijs, & alijs austeritatibus, vnde moriens maxima sanctitatis opinione

anno

anno 1577 honorificè tumulatus est.

F. Ferdinandus à Leyua laicus ad easdem regiones se contulit, vt nouæ culturæ Indorũ opem ferret: sed cum crasso esset ingenio totum se tradidit orationi, & comtemplationi, nihilque magis eius erat cordi, quam obedientiæ, humilitatis, & charitatis actibus Deo, & religioni seruire; vnde & octuagenarius ab hac vita discedens, maximam suæ sanctitatis famam posteris reliquit. Idem pag. 1267.

PP. FF. Rodericus Benauida, F. Michael Torreionzillo, & Ioannes Bejar strenuè in cultura Indorum laborantes, & virtutibus pariter excolendis intenti, non leue sanctitatis argumentum reliquerunt. Idem pag. 1269

P. F. Franciscus Marquina tot in Indorum conuersione progressus fecit, vt cuiuis alteri ex præcipuis dominicæ vineæ in his regionibus cultori sit comparandus; qui laboribus multis pro fidei prędicatione consumptus, maxima opinione sanctitatis, obdormiuit in Domino. Idem pag. 1272

P. F. Martinus Gilberti tot, & tales fructus in Dominicum horreum intulit, vt vix sibi parem habuerit: religione, & vitæ sanctimonia insignis extitit, qui immensam messem cõuer- Idem pag. 1283

tendorum considerãs illud Hierem. cõcinens
Thren 2. æstuanti desiderio, *paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*, ex hac vita migrauit, cuius facies prius pallens, & omnino subnigra statim post mortem rutilans apparuit.

Idem pag. 1284 P. fr. Martinus à Iesu vnus è duodecim primis Patribus qui ad has oras occiduas appulerunt, cum infinitos infideles, tam prædicatione, quam incredibili exemplo, angelicoq; viuendi modo, idolis confractis, eorundemque spurcitijs eliminatis, Saluatori nostro peperisset, vniuersæ carnis viam maxima cum opinione sanctitatis ingressus est.

Idem pag. 1309 P. F. Michael Bononiensis sacris suis concionibus innumeros populos è tenebris idololatriæ trãstulit ad lumen catholicę fidei. Fuit religionis Franciscanæ obseruantissimus, omniumque virtutum decore ornatissimus, vnde vt Sanctus, Deo carus, ac verè cœli incola ab Indis habitus est.

Idem pag. 1306 P. fr. Franciscus à Turre prouinciæ Bethicæ alumnus, vnus è primis cultoribus fidei in Incãtatã; qui adeo prædicationibus profecit, quod multas Barbaras gentes ad Christianitatem conuertit. Claruit spiritu prophetico, & paulo ante mortem tanta extitit vis oratio-

nis

nis eius, vt à terra in aera subleuatus sit. Cui ãnectitur. P. fr. Didacus Landa, qui post multam messem Incanatorum in horreum Dominicum reportatam, Episcopus ibidem creatus est, super cuius caput, dum è suggestu ad populum sacras conciones haberet, fulgentissimum sydus splendere visum est: & dum Guardianus esset in Dei misericordia sperans, tritici annona pro sustentandis fratribus cum sterilis illius anni, ad huc sex menses superessent, minimè sufficienti in pauperes, & alios Ecclesiæ ministros distributa, in fine semestris, eadem penitus mensura frumenti, ac si omnino intacta esset, reperta est.

In Ciuitate Regum, alias Lima, quę in Prouinciã Franciscanorum sub titulo duodecim Apostolorum erecta est, mortuus est fr. Alphonsus Alcanzes professione laicus, qui ob excellentiam virtutum, ab Indis, & Hispanis, vt Dei amicus habebatur. Idem pag. 1313

P. fr. Gaspar à Valleuiridi omni virtutum genere ornatus, atque strenuus Euangelicæ paupertatis cultor, infidelium conuersioni toto pectore incumbens vsque ad extremum vitæ halitum, animam creatori reddidit sanctitatis fama post se relicta. Idem pag. 1314

P. fr.

Idem pag. 1537 P. fr. Alphonsus Betanzos tot hominum millia seruatoris nostri suaui iugo subiugauit, vt fit incredibile. Nihil eo modestius, nihil continentius, nihil mitius. Obijt 1566. cuius ossa tum ab Hispanis, tum Indis in maxima veneratione habentur.

Idem pag. 1444. & 1511 In Prouincia S. Thomæ Indiarum orientalium clarus habetur P. fr. Ioānes à Soria, maxima sanctitate præditus: qui dum fidelium causas cum maximis lachrymis Deo commēdaret instātius, vocem diuinitus sibi illapsam, audiuit: *Vigilate, præliamini, & vincetis*, quæ vox vires, & animum Christianis militibus contra rebelles Barbaros addidit, inimicis pauorem incussit.

Idem pag. 1490 In Prouincia Canariæ P. fr. Antonius Sosa humilioribus exercitijs, ob suam eximiam humilitatem, voluit occupari, & infirmatij officio (ob eam qua erat ne dum in Deum, sed in proximū charitate præditus) fungi appetijt: propter quod & meruit infirmum confratrem iam animam agentem porrecto sibi poculo integræ sospitati ex tempore mirabiliter restituere. Similiter ibidem fr. Petrus de Mōtibus insigni sanctitate floruit, qui vbi viginti annorum spatio vitam eremiticam instar Sanctī

ti Pauli primi Eremitæ transegisset, suæ mortis præscius, octuagenarius habitum Franciscanorũ indutus, maxima cum opinione sanctitatis feliciter obdormiuit.

P. fr. Ludouicus Lerma tanta humilitate, & religione, conuersatione ad vltimum vsque halitum perseuerauit, vt certissimam sui exitus horam prænosse dignus fueri. Ex eius corpore liquor emanat, ex quo leprosus curatus est. alius, similiter puer Laurentius nomine, morti propinquus ex templo conualluit. Idem pag. 1190

In eadem Prouincia clarus habetur fr. Michael Laicus professus humilitate, paupertate, charitate insignis; qui per 10. annos in culinæ ministerio fratribus voluit inseruire, eam quoq; gratiã promeruit, vt inter orandũ raptꝰ, & à terra abstractus, non semel visus fuerit.

P. fr. Bartholomęus Sacerdos, adeo sacris & diuinis contemplationibus, & meditationibus fuit deditus, vt sæpius in orando eleuatus, & raptus visus sit. E viuis excedens 1581. ob eius vitæ sanctimoniam inter cœlicolas aggregatum, constans fuit existimatio. Idem pag. 1174.

In Prouincia Granatensi in conuentu Sancti Laurentij ibidem gloriosè obijt P. fr. Petrus de Angelis, cuius vitam Deo fuisse caram, Idem pag. 1161.

& acceptabilem in odorem suauitatis, signa per eum patrata demonstrant.

Iqem pag. 1148 In Prouincia Sancti Antonij clarus similiter P.fr. Bartholomęus virtutum omnium genere; vnde non vulgaria vitæ sanctissimæ ante actę, post mortem documenta reliquit.

Idem pag. 1148 In Prouincia Sancti Ioseph viam vniuersæ carnis ingressus est P. fr. Alphonsus Zamorra nobilis genere, sed virtutibus illustrior, qui ob singularem deuotionem erga B. Virginem paulo ante obitum, eius præsentia dignari meruit, ad cuius tumulum vniuersa Ciuitas Toletana cucurrit.

Idem pag. 1148. P. Guardianus Cœnobij Sancti Petri Zalomea non sine sanctitatis opinione animam efflauit, de quo illud mirum ad memoriam sempiternam scriptum est, quod cum nihil obsonij fratres haberent commessionis tempore ijsdemque mandaretur, vt chorum peterent, & ad diuinam maiestatem oculos attolerent, repente morem gerentibus adfuit, qui cibaria afferret: quo facto, vt diuinam largitatem, & prouidentiam paupertas sancta ad oculum experiretur, obtinuit.

Idem ibid. P. fr. Gaspar nouitiorum Magister glorioso decessit, hic inter cęteras virtutes illud pro-

me-

meruit, vt mulierem ab oculorum grauedine ipso die Ascensionis Dominicæ recitato super eam Euangelio exemplo liberaret.

Fr. Ioannes Linarius laicus perpetuo fermè ieiunio corpori bellum indixit; illumque spiritum quo religionem ingressus est, vsque ad vltimum vitæ terminum conseruauit; maximaquè virtutum laude vsque ad extremum perseuerans in Domino feliciter obdormiuit. Idem pag. 1141

F. Didacus laicus, & fr. Antonius Secure, & P. fr. Hieronymus à Torregionzillo, & P. fr. Narcisus Iuuam, & P. fr. Ioseph Albizus omni virtutum genere referti migrarunt ad Dominum; quibus additur P. fr. Melchior à gratia vir orationis, & meditationis assiduæ, & tam erga Deum, quam erga proximum ardentissimæ charitatis, qui infirmis fratribus grassante lue, obiecturus, eadem infirmitate correptus feliciter diem clausit extremum. Idem pag. 1135 & 1140

B. P. fr. Petrus Alcãtarensis cum extrema abstinentia, iugi oratione, & cœlestium rerum contemplatione, rerum humanarum contemptu, sui ipsius deiectione, familiarem conuersationem, vrbanam, non dissolutam, hilarem; sed sale conditam, grauem, & religiosam adiunxit. In voluntaria paupertate, & inuicta pa- Idem pag. 1137

tientia, cordis puritate, spirituq; feruore 47. annorum spatio Deo exhibens famulatum, cuius sanctitatem, spiritus propheticus, & per eum patentissima miracula perpetrata, satis superque demonstrant, vnde merito à Sede Apostolica Beatorum albo adscriptus est.

Idem pag. 1137. Fr. Alphonsus de Erena cum sub Caroli V. vexillis militasset, Rei Regum Domino gloriosus militauit, adeo laudabiliter viuens, vt de hoste humani generis illustres triumphos reportarit, fæliciter in Domino obdormiens. Et P. fr. Leo Lusitanus salutis animarum sitientissimus, qui licet grauissimis implicaretur infirmitatibus, atq; doloribus, nunquã alicui Sacramentalis confessionis exceptionem denegauit, vnde à patriæ accolis in sanctitatis opinione clarus habetur. Alij plures ex eadem prouincia tanquam ex equo Troiano illustres fratres prodierunt cum sanctitatis fama.

Idem pag. 1114 In Prouincia Cathaloniæ fr. Saluator Alphonsus laicus, vir magnæ puritatis, & simplicitatis abstinentiæ, & charitatis, ita enituit, vt Deus omnipotens, qui humilia respicit, & alta à longe cognoscit illum in vita, & post mortem miraculis cohonestarit, mutis enim loquelam, auditum surdis, cœcis visum mirabiliter

liter restituisse ferunt. Claruit 1519.

In Prouincia Valentiæ claruit fr. Gulielmus Spolettinus professione laicus, virtutibus, spiritu prophetico, & alijs prærogatiuis à Deo cohonestatus, obijt anno 1582. Idem pag. 1055

P. fr. Nicolaus Factor eodem fermè tempore 1583. obijt vir omni virtutum genere ornatus, miraculis tam in vita, quam in morte; & spiritu prophetico coruscans, de quo adhuc viuente B. P. fr. Ludouicus Beltrãdus dicere solebat. P. Nicolaus Factor cum huius mundi accola sit, Paradisum obtinet, atq; cęlestibus, alterius viræ delitijs, fruitur. Idem pag. 1056. Extat vita eius à Christophoro Moreno descripta.

P. fr. Hieronymus Steue Sacerdos morte obijt anno 1580. vir omni virtutum genere excultus, qui sæpius inter orandum adeo diuinis ministerijs contemplandis immergebatur, vt nil eorum, quę circa se agebantur sentiret, mira commiseratione pauperes Christi fouebat; prophetico spiritu donatus plurima euentura certissimè prædixit. Idem pag. 1093.

In Insula Sardiniæ in Almo Conuentu S. Petri Calaritano, fr. Saluator ab Horta laicus requieuit, qui cum ob suã sanctitatẽ, & curationum gratiã, tam in regno Valentiæ, quam in Principatu Cataloniæ, maximi fieret, po- Idem pag. 1078.

pularem auram euitare volens, in Insulam illam transfretauit. 1565. Sanctoq; fine ibidem quieuit, cuius corpus incorruptũ, atq; tractabile repertum est, & magna frequentia tumulus eius à Calarensibus honoratur.

Idem pag. 972. & 997. In Germania Inferiori viuus, & mortuus claruit miraculis Pater Frater Theodoricus Monasterienſis, qui obijt 1516. de quo cõpertum est diem sui obitus diuinitus prædixisse.

Frater Iacobus Dieſt Laicus ſuę professionis zelator feruidus, laboriosæ peregrinationis suæ cursum feliciter consummauit, in conuentu Traiectensi.

Idem pag. 961. In Prouincia S. Gabrielis in Italia Pater Frater Antonius Alcantarensis profundissimæ humilitatis, atque ardentissimæ charitatis, obijt cũ sanctitatis opinione, cuius corpus quadriennio post funus elapso. 1569. suauissimè redolens, atque omnino incorruptum seſe contuentibus præbuit.

Idem pag. 960. Frater Ioannes à Crapraria Laicus vir eximia charitate præditus, & feruentissimę orationis spiritu dęmonibus formidabilis, quorũ plures ab arreptitijs signo crucis longe abegit, 1575. in conuentu Vallisuiridis, pro vt ipse ex diuina reuelatione didicerat, atq; prędixerat,

die m

diem clausit extremũ, cuius corpus post quinquennium incorruptioni vitæ correspondens integrum, & incorruptum repertum est.

P. Fr. Alphonsus de Mazanete vir eximiæ charitatis, quam excolens vsq; ad extremum vitæ spiritum, cum maxima sanctitatis fama è viuis excedens ad Cœlos euolauit 1569. Idem pag. 955.

P. F. Antonius Lopez S. Francisci spiritũ æmulatus per omnia, diem clausit extremum 1559. cuius corpus post multum temporis integrum, suauiter redolens (vt tota domus repleta esset odore fragrantissimo) inuentum est. Idem pag. 955.

P. F. Franciscus à Villis bonis post virtutum diuturnam, & in defessam vsq; ad mortẽ (quam etiam prædixit) exercitationem, viam vniuersæ carnis ingressus est anno 1566. Idem pag. 958.

In Prouincia Pietatis clarus sanctitate extitit Pater Antonius Neburiensis, in vita, & in morte miraculis decorus, quæ per Episcopum Algarbiorum recensita in suis archiuis asseruantur, spiritu prophetico fuit prędituus, qui & sui obitus diem, diuinitus quoq; prædixit. Idem pag. 942.

P. F. Franciscus Gatta Laicus professus, qui tàm in vita, quam in morte miraculis coruscauit, eandem quoq; prouinciam illustrat.

In Prouincia Angelorum præsenti sæculo vale Idem pag. 956.

vale dixit frater Alphonsus de Antiqua mellaria laicus professus, qui pari voto, dum esset in sęculo cum coniuge, quam intactam seruauit castitatem vouens, vinculis coniugij illa defuncta absolutus, religionem seraphicã ingressus, perpetuo voto solemni cum alijs votis excoluit; eius sanctitas ex spiritu prophetico, & miraculis, tàm in vita, quã in morte patratis satis innotuit.

Idem pag. 901. In Prouincia Bęthica frater Didacus Gusmanus nobilitate illustris, sed virtutibus clarior habitus est, ad cuius funus sponte concursu populorum facto, quanti meriti fuerit apud Deum, demonstratum est.

P. F. Petrus à Turribus de cuius integritate, & candore Generalis Gonzaga tale reddit testimonium, quod in obitu eius idem accidit, quod in morte B. Antonij Patauini; cęlantibus enim eius obitum Religiosis, à pueris, iuuenibus, & senibus conclamatum est. Mortuus est vir sanctus frater Petrus. Vnde ad exequias vniuerso populo confluente, vix sepulthuræ mandari potuit.

Idem pag. 868. In Prouincia Conceptionis enituit Pater Zumaraga primus Mexicanorum Episcopus, qui vitam regularem cum Episcopali onere adiun-

adiungens, meruit quoque, vt signis coruscaret. In eadem Prouincia cum opinione sanctitatis accesit P. fr. Bernardinus de Areualo, qui singularem abstinentiam cum feruentissima humilitate, incredibili patientia, atque ardentissima charitate copulauit, cuius vestes in eius funere, qui ad manus deuotè osculandas venerant, præciderunt.

Similiter Prm frm. Ioannem Calagurita-num in abstinentia, & oratione insignem, miracula edidisse ferunt; obijt 1575. ibidem.

Pater frater Alphonsus à Nebreda laicus, cuius vita nihil aliud, quam omnium virtutum speculum fuit, animam suo creatori restituit cum sanctitatis fama. Idem pag. 169.

P. fr. Franciscus à Vega omnium virtutum diligentissimus cultor anno 1576. è vita sublatus maximam post se sanctitatis famam reliquit; cui non absimilis fuit mors pretiosa. Idem pag. 862. c. 669

Patris Fratris Hieronymi Oliuarij, ad cuius funus vniuersus populus concurrit, felicemque se existimabat, qui vel tantillum religiosi habitus præcidisset.

Pater frater Bartholomæus de Anglario in Prouincia Tusciæ, obijt gloriosè. Fuit autem hic Pater venerabilis, clarus virtutibus, Gonza. 2. p. peg. 251.

eximijs meritis, omni sanctitate insignis, qui cœlestis potius quam terrenis homo videbatur, fuit in oratione assiduus, ac feruentissimus, vnde sæpius inter orandum à terra subleuatus visus est; cum sanctitatis fama diem clausit extremũ, apud Empolim in Rusica.

Idem pag. 422. In prouincia S. Angeli P. fr. Sebastianus à Celento claruit, qui adhuc viuens iuuenem à grauissima, qua detinebatur infirmitate liberauit, & moriens, cum sibi passionem dominicam secundum Ioannem legi rogasset, & ad eum locum deueniens, *& inclinato capite emisit spiritum*, animã creatori reddidit. 1554. Obierunt quoq; ibidem fr. P. Aloysius à Golionisio vir suæ professionis zelantissimus, qui plurimos infirmos adhuc viuens curauit; & venerabiles Patres Fratres Archangelus de Agnone, Illuminatus de Slauis, Paulus de Roio, & Christophorus de Cãpobasso, omnes viri, ac religiosissimi, ac spectantissimi qui hoc tempore claruerunt.

Idem pag. 443. In Prouincia Calabriæ in Conuentu Sancti Bernardini Rossani obijt, 1540. venerabilis, ac probatissimæ vitæ P. fr. Petrus de Padulis, qui cum adhuc bene valeret, diem sui obitus certissimè prædixit. Eius anima cum

corpus

corpus linqueret in præfulgidi syderis formã cœlos petere Gubernatori Rossanensium, & alijs visa est, eiusq; corpus per plurimos ab obitu dies palpabile repertum est.

Idem pagi 144.

In Conuentu Tabernensi sepultus iacet P. fr. Matthæus à Messuraca, cuius pietas, abstinentia, humilitas, paupertas, atque prompta obedientia incredibiles fuere, qua propter tum in vita, tum in morte miraculis clarare meruit, nam & Faustinam quandam à grauissima, quę laborabat paralysi, statim ab obitu liberauit, ac plurimis alijs infirmis ad eius sepulchrum accedentibus, amissam sospitatem restituit.

Ex Iconibus, & Proces. & relat. confect. iussu Illustriss. Protectoris & Reuerendiss. Pr Generalis.

In Prouincia Siciliæ, Simon à Calaxibetta Religiosus magnę sanctitatis, ac paupertatis, euangelicæ zelator maximus, vnico eoque rudi habitu contentus, nudis pedibus incedebat. Reformationi Prouinciæ Siciliæ initium dedit vigore Bullæ. Fel. Rec. Clementis VII. In vita & post mortem signis claruit, in eius transitu à B. frarre Francisco, ac SS. alijs visitari meruit; Obijt anno Domini 1546. in Conuentu S. Annæ Iulianæ, ibique corpus eius magna cum veneratione habetur.

Frater Bonauentura à Melita, charitate flagrabat eximia; pœnitentia, & simplicitate magni-

magnificus; vigilijs, & orationibus insistebat attentè; cum decacordo mariales preces persoluendo, coram Virgine matre Domini pernoctabat: Miraculis clarus petijt cœlestia Regna Anno Domini 1576. iacet in conuentu S. Viti agrigenti.

Frater Thomas à Calatayerone virtutibus fere omnibus micans, charitate præsertim exurgens, orauit ad Dominum, vt cessante ciuium peste, ipse solus pro omnibus pateretur, & quod petijt, accepit, sicque soluto corpore ex epidimia migrauit ad cœlum, Anno Dom. 1576. corpus eius conditum est in conuentu Sancti Petri Platiæ.

Frater Ludouicus à Calatayerone carnem flagellis conterens, continuè ieiunauit, multisq; lustris pane, & aqua contentus. Orabat indefessè, extasi, & Spiritu prophetico præditus. Post mortem, sicut & in vita miraculis claruit; obijt in conuentu Platiæ anno 1579.

Venerabilis Pater Frater Cherubinus à S. Lucia virtutibus fulgebat eximijs, quas inter virginitatem perpetuo coluit. Quotidie ieiunabat, vino abstinebat, pro tunica, & femoralibus cilicium adhibuit: fuit pœnitentiæ cultor, in contemplatione ecstaticus, & clarus;

rus miraculis obdormiuit in Domino, anno Domini 1577. in cuius transitu B. P. S. Franciscus apparuit, cum quo ipse volauit in cœlum; corpus vero eius asseruatur in D. Nicolai Agrigentini Ecclesia.

F. Benedictus à SS. Fratelli, puritate, simplicitate, spiritu prophetico, ecstasiq; donatus, viuus, & mortuus edidit plurima signa, mortuum quoque vocauit ad vitam, corpus vero eius in conuentu S. Mariæ Iesu Panormi maxima deuotione colitur, in quo vitam cum morte mutauit, anno Domini 1589.

V. P. Fr. Wilielmus à Calatayerone suæ Regulæ obseruantissimus, in oratione assiduus in vita magnæ existimationis apud omnes fuit, quemque Dominus quoad vixit, spiritu prophetico, & post mortē miraculis illustrem reddidit, obijt in Conuentu S. Petri Platiæ anno Domini 1592.

V. P. Fr. Innocentius à S. Lucia, carnem rebellem edomans, humi cubabat, ferrea sucubula vtebatur, quotidie ieiunabat, in vigilia, orationeque ecstasi, & spiritu prophetico præditus, in prædicatione vitiorum reprehensor accerrimus, sui obitus diem prædicens, miraculis in vita, & morte coruscans obdor-

miuit in Dño, desiderio Martyr, Anno Dñi 1595. iacet in Conuentu S. Mariæ Iesu Platiæ.

Frater Ægidius ab Agrigento præter virtutes omnes, patientia in infirmitate multorum annorũ maximè enituit, & dono lachrymarum; insignitus fuit spiritu prophetico, multa prædicens, obijt in cõuentu Sancti Nicolai Agrig. anno Dñi 1602. post mortem, sicut & in vita, signis claruit.

Frater Dominicus à Calabria à prima sua conuersione lapsus, de hinc iterum conuersus coram summo Iudice sistitur, á quo 44. annorum pœnitentiæ agendæ inducias in Religione promeruit, vbi ferè omnibus virtutibus, spiritu prophetico, ac gratia contemplationis resplenduit. Miraculis in vita, & post mortem clarus obijt anno Domini 1603. in conuentu Sanctæ Mariæ Iesu Nicoxiæ.

V. P. fr. Angelus à Calatayerone, vir fuit ferè omnium virtutum copia insignitus, charitate præcipuè, & humilitate enituit, orationi magno cum feruore deditus, multa spiritu prophetico prædixit; cum quinquagesimum secundum suæ professionis annum attigisset migrauit ad Dominum anno Salu. 1610. in cõuentu Montis Salui Ciuit. Ennæ: quo tempore

pore sacerdotali ornatu decoratus, á Christo Domino in Sanctorum, & Beatorum cœtum recipi visus est, cuius corpus Diocæsanus Antistes honorificè collocari mandauit, & quotidie miraculis coruscat.

Frater Seraphinus à Francoforte in oratione, & contemplatione assiduus, in pœnitentia rigidissimus, cinctus enim cathenis, & cilicio indutus, ac de inuisibili inimico, cum quo visibiliter sæpius certabat, coronam victoriæ reportabat. Obijt in conuentu Messanæ anno Domini 1616. ac post mortem, sicut & in vita, miraculis claruit.

Fr. Franciscus à Calmerota, stultitiã illam, quam elegit Deus, vt confundat huius mundi sapientes, familiarem habuit, nam stultus ab hominibus existimari cupiebat, rudi tunica, cilicioque contentus, nudis pedibus incedens, sæpius ieiunabat, diem mortis suæ prædixit, ac miraculis clarus quieuit in Domino in conuentu Burgij, anno Saluatoris 1614.

F. Franciscus á Calabria tertij Ordinis in ieiunijs, vigilijs, & oratione, etiam in extrema senectute vsque in finem perseuerauit. Obijt Panchormi in Conuentu Sanctæ MARIAE IESV, anno Domini 1597. ætatis suæ 112.

virtu-

virtutibus clarus.

Fr. Vincentius à Nicoxia in austeritate, & patientia præcipuæ enituit erga B. Virginem Mariam deuotione singulari flagrabat. Diem mortis suę prædixit, & miraculis illustratus, obdormiuit in Domino anno Saluatoris 1602. Iacet Panhormi.

Fr. Didacus à Sinagra huius sæculi pompas contemnēs, in oratione, vigilijs, extremaque paupertate vitā duxit: quotidie in pane, & aqua ieiunabat, ferrea subucula, loco tunicę vtebatur. Clarus miraculis euolauit in Cœlū anno Dñi 1602. Iacet in Ciuitate S. Philippi.

Soror Margarita Calaxibetta à Platea, Virgo adhuc in cunabulis lac semel in diebus ieiunij sugebat, perfectioni virtutum, & assiduæ comtemplationi vacans, Angelorum obsequio victum recipere meruit: multa ventura prædixit, clara virtutibus migrauit ad Sponsum Anno Domini 2560. Iacet in Conuentu Sanctæ Mariæ Iesu Platiæ.

Soror Hieronyma à Messana Vidua magnæ sanctitatis, & admirabilis pœnitentiæ, in antro quodam solitariam vitam agens humi cubabat, quotidie in pane, & aqua ieiunabat, & demum post 40. annorum in eodem loco migra-

migrauit ad Cœlum anno Domini 1590. Iacet Panormi in Sancta Maria Iesu.

Soror Archangela Iardexa á Platea Virgo 36. annorum languore correpta admirabilis extitit patientiæ, comtemplationi vacans dulcem puerum Iesum nocte natiuitatis, suis in vlnis recipere meruit, eiusdemq; passionis dolores in languenti corpusculo sensit: transiuit ad Sponsum sanctitate, & signis præclara anno Dñi 1598. iacet in ædib⁹ S. Petri Platiæ.

Soror Clara à Catana vidua, diuitias, nobilitatem, patriam, suosque relinquens, omnibus incognita in solitudinem secessit ibique in assidua contemplatione, pœnitentia, & voluntaria paupertate perseuerans, labore, ac meditatione victitabat: multa anteq̃ euenirent prædixit: obdormiuit in Domino anno Salu. 1617. iacet in S. Maria Iesu Panhormi.

Ex familia vero, quam conuentualium vocant, clari nouissimi Patres habentur ex vitæ sanctimonia Pater fr. Trebatius Pennensis in in Marchia insignis Theologus, & Cõcionator. Hic quo maior apud populos, eò seipso minor æstimabatur sui, terrenarumque rerum contẽptu: nihil aliud erat cordi, nisi peccatores lucrari; aspero cilicio vtebatur; nudis pedi-

Ex fide dignis relationibus PP. Minorum conuentualium.

bus discurrebat per ciuitates, & Castella ãnuncians verbũ Dei, si forte eos ad pœnitentiã posset euocare, moritur cũ sanctitatis opinione.

P. fr. Philippus Gesualdus de Castrouillarum vbi 30. annorum spatio cathedrã Magistralem rexisset Patauij, in Generalem assumptus tãta exemplaritate effulsit, in victus parcitate, in indumenti simplicitate, in carnis maceratione, cilicijs, & humi cubationibus carnem spiritui subijciendo, vt merito conuentualis familiæ Minister Generalis institutus á Clemente octauo, per nouem annos reformationi multum insudarit. Episcopus creatus nihil de vitæ religiosæ austeritate diminuens, perfectionem religiosam cum suprema Prœsulatus perfectione coniungens, viuens norma religiosorum, Prælatorum, & moriens cum opinione perfectionis non leui habitus est.

P. Fr. Iulius à Montefilatrano eminenti doctrina insignique bonitate enituit, præcipuè tamen simplicitate, & vitæ puritate, postquam 20. annorum spatio cathedram rexisset in studio sapientiæ Romano, Episcopus Sanctæ Agathæ Gothorum creatus, ibidem cum ædificatione diem clausit extremum.

P. F. Trebatius Pennensis doctus Theologus

logus, & insignis concionator, se ipsum sui contemptu deijciebat in animo, & foris: macerabat carnem asperrimo cilicio indutus: discalceatus incedens, solo pane, & aqua contentus; per Ciuitates, & Castella discurrens, vt animas Christo lucrifaceret, moritur cum sanctitatis opinione.

P. fr. Petrus Radulphius à Tusignano cõcionator eminentissimus, Lector Patauinus, tanta puritate enituit, vt eo titulo, & elogio à primis Italiæ principib⁹ honestaretur. Creatus Episcopus Senogallienſis, gregem suum tanta exẽplaritate pauit, vt à Christo Domino pastorum principe, tot virtutum actus (sancto fine quiescente) remuneratos abundè, pietas populorum non temerè conceperit.

P. fr. Octauianus Rauennas Patauij 40. annis cathedram magistralem rexit, sed animam suam Theologiam mysticam edocebat, opere implens quod ore docebat: cuius fama bonitatis, & disciplinæ permotus Clemẽs VIII. ad Ciuitatem Bononiensem transmisit, vt suis litteris quoque Ciuitatem illam studijs celebrem illustraret; sed senio confectus breui viuis concesit, & luctu maximo. Tam perfecti viri exitus apud Dominum precios⁹, ab

illa Ciuitate deploratus est.

P. fr. Philippus Rauennas Oblatus eximiæ charitatis, & simplicitatis Vir, austeritatis incredibilis. Oratione feruentissima præ cæteris virtutibus Deum promeruit. Discalceatus semper incessit, & stipem ostiatim petens, eam pauperibus, & egentibus distribuebat, noctu flagris vsq; ad sanguinem corpus suum cædebat, viuens sanctitate illustris habitus est, & Romę cum sanctitatis opinione moritur, quod & suspensa vota in Ecclesia S S. Apostolorum testantur.

P. fr. Bartholomæus Agricola Sacerdos natione Germanus ex infidelibus parentibus ortus, ijsdemq; in infidelitate relictis, S. Francisco nomen dedit: illius religionem professus: paupertatis cultor eximius, & regulæ obseruantissimus, ad regnum perfectionis apicé peruenit, vitæ irreprehensibilis, erga ægrotos præsertim magnam exhibens benignitatem in Xenodochijs, quos suis cibabat inanibus, & obsequio recreabat. Eius mortem non obscuris indicijs dominus, cui in abscondito placere studuit, manifestauit, quæ diligenti examine cum virtutibus pręclarissimis ordinaria auctoritate, iuris ordine seruato recipiuntur. Obijt

bijt Neapoli Anno 1621. & in Templo Sancti Laurentij corpus asseruatur.

Fr. Apostolus Oblatus Apostolicam paupertatem, & tolerantiam egregiè imitatus fragilem, & caducam vitam, in æternam, & immarcescibilem in cœlis conseruatam visus est commutasse. Mortuus est Neapoli in cõuentu Sanctæ Luciæ.

Sed non parum laudis Franciscanorum Familæ accrescit, quod his temporibus varijs reformationibus primæuum feruorem Seraphici instituti quidam venerabiles Patres innouarunt, & veluti Phœnix senio confecta asperrimæ regulæ ligna odorifera colligentes, & ad ardentem solis sui institutoris oculos dirigentes ignem ardentem desiderij alis excutientes, se ipsos, vt hostiam viuam concremãdos, tanquam de suo funere; rursus euigilantes, velut caro rediuiua phœnicis in ea illustris surrexit, quã sol, & cĩname coxerãt charitatis.

Inter eos primatum obtinet P. fr. Matthęus Barci de Minorum familia, qui anno 1525. in Marchia Anconitana ad Cœnobium pro defuncti officio persoluendo pergeret, obuiã factus pauperi ob hyemen, & nuditatem algenti, se continere non potuit, quin pannos

Ex Marulo in Oceam. Religion.

quoſdas laneos ad illum tegendum promptè elargiretur, quod vbi factum eſt non ſecus, ac S. Franciſco antequam religionem fundaret, accidit, ab oculis eius pauper, qui Chriſti Domini perſonam abſque dubio gerebat, euanuit. Tanta illico ſpirituali dulcedine perfuſus, pauperis illius idæam memoriæ ſuæ infigens Chriſtum, multo lachrymarum imbre genas irrigans imitari deſiderans obnixè rogabat, vt quod ei ſibi placitum eſſet dignaretur afflare. nulla mora diuinitus illi aſpiratum eſt, vt eum indueretur habitum, quem primitus fundatorem geſtaſſe compertum erat, tertio quoque ad eum voce elapſa, *Serua Regulam ſecundum litteram.* Ad hoc opus ſe accingens, manum miſit ad fortia, pannoſis indumentis indutus, Summum Pontificem adijt, vt ſummi Sacerdotis beneplacito, & aſſenſu eam habitus formam geſtaret, quod & impetrauit. Diuinitus iterũ admonitus, vt diuinum verbum prædicaret tanto ſpiritus feruore hoc miniſterium adimpleuit Romę, & poſtea per Marchiam diſcurrens, & euangelizans regnum Dei, vt multarum animarum meſsis in horreis Dei recoderetur. Paulò poſt P. fr. Matthæo adiungitur fr. Franciſcus de Cartoceto cum quodam diſcipulo

scipulo fr. Pacifico, cui diuinitus mentis oculis cum carneis oculis orbatus esset ostensum est, habitum quem nuper assumpserat fr. Matthæus, eum habitus formam habere, quam S. Franciscus assumpserat. Eidem sodalitio non multo post adiuncti P. fr. Ludouicus de Fossambruni cum fr. Raphaele, & P. fr. Paulo Chiorra maximo spiritus feruore adiũcti, qui & primum, nouumque Capuccinorum conuentum ædificarunt, ad quem deinceps conuolarunt P. fr. Marius, P. fr. Angelus Innodatus, alter P. fr. Matthæus de Salnio, P. fr. Bernardinus de Offida, & alij vsque ad numerum 12. Primo vero Capitulo celebrato in Generalem elegerant P. fr. Matthæum Barci, sed vt expeditus animarum conuersioni intenderet, talem præfecturam à se abdicare obnixè postulauit, eius in locum succedente P. fr. Ludouico Fossambruni. Igitur Prælationis onere deposito, prædicationi se totum tradidit, vitia detestando, virtutum culturam inculcãdo. Sed volens Deus huius plantationis restaũratorem æternis præmijs remunerare, Venetijs anno 1528. animam bonis operibus cumulatam, atq; refertam ad se euocauit. Hunc in vita, & in morte miraculis illustratum constans,

ſtans, & certa fama eſt. Illa in vita inter mira recenſentur, quod anno 1528. dum leproſis,& lue peſtilentiſsima percuſſus, Senis in Xenodochio inſeruit, & contagio præſeruatus eſt, & dum animaret Catholicos, vt intrepidè præliarẽtur bella Domini aduerſus hæreticos ſub Lantgrauio militantes, quamuis in acie pondus, & prælium tanquam ſcopum, & ſignum plumbearum gladubarum ſe conſtitueret, illæſus ſeruatus eſt.

Poſt mortem P. fr. Matthæi puſillus iſte grex multiplicati cœpit, dum n. P. fr. Ludouicus Generalis ad propagationem huius renouati germinis intenderet, P. fr. Ludouicus Rheginenſis cum fr. Bernardino Georgio eiuſdem vitæ rationem ſuſceperunt in Prouincia Calabriæ,quibus (vt vinum nouum lætitię ſpiritualis in nouos vtres reponeretur) adiungi etiam voluerant P. fr. Franciſcus Dalom Rheginenſis, P. fr. Bernardinus à Biſiniano, fr. Ioannes Candela, & fr. Ioannes de Terranoua, & alij. Verum quia gubernatoris peritiam non probat temperies ſerena,ſed procelloſa tempeſtas, mox Diaboli vento feruente perſecutorum procellæ, vulgi nubes, poteſtatum fluctus, rabies perditorum, populorum

gur.

gurgites, tonitrua perfidorum mugire, resonare, visa sunt, vt paruulę ratis vnum esset discrimen, vnumq; naufragium. At auspicante Deo sedatæ procellæ, cessarunt venti, imber quoque abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra ista, cui benedixit Dñs; cuius fragrantia oblectati populi mirificè in via Dei profecerunt. Siquidem, quantum in illis vilis videbatur aspectus, tantum interius obseruabatur profectus. Erant. n. censu pauperes, sed innocentia locupletes, loco humiles, sed sanctitate sublimes, omni sęculi pompa destituti, sed simplicitate prætiosi, obscuri ex solitudine, at vitæ merito perlucentes, labore communes, sed proposito singulares, adiuncti vigilijs, sed ad cœlestes excubias iam vocati, negati dignitatibus, honorib⁹ nō negati, iniurijs ducti, sed iniurijs non relicti. Hinc laxātes retia Apostolica apostolici viri cæperūt vitalis escæ iactu, hamo cęlestis verbi, exemplo quoque vitæ de mortis gurgite, animas ad lucem attolere sempiternā. Hoc modo iterum renouari Seraphica religio visa est, vbi iterum Alueriæ pinguescunt spetiosa deserti, & exultatione colles accinguntur.

Non desunt in hac vinea sapientia, & eru-

ditione referti, qui scriptis, & concionibus hanc familiam illustrarunt. Vetera non memoro, sed quę diebus nostris contrectauimus. Quis Trigosij eruditionē non admiretur, qui omnium primus Sanctum Bonauenturam in eam formam dispositi, qua summa S. Thomæ dilposita est eāque doctissimis commentarijs illustrauit? Quis vberem doctrinam P. fr. Zachariæ Bouerij non suspiciet, qui aduersus hæreses Nouatorum plurima elaborauit, mirè de hostibus triumphans? Quis omnes numeret scriptores.

At quis silentio præterire potest P. fr. Ludouicum Lupum, qui è suggestu contra vitia inclamans, alter Paulus acclamabatur.

Quis dignis encomijs non celebret P. fr. Anselmum Monopolitanum, qui Apostolici Palatij concionator, ob vitæ, & doctrinæ claritatem Sacro Collegio Cardinalium primus Capuccinorum adnumeratus est à Clemente VIII. quem Pontificem, Innocentij Bonifacij, Zozimi vestigia sequentem, & pro gratia victrice, eiusque energia indefessè laborantem, maxime adiuuit doctrina, & consilio. Qui licet ambo, dum definitio tractabatur causæ controuersæ, è viuis excesserint, inscrutabili con-

consilio Dei id factum est, nec enim incertas cõiecturas meditari debemus. Sed si eã adducerẽ, vt verbis S. Prosperi vtar Epist. ad Ruff. *Hunc ipsum in longiora progressum, ideo à DEO tardius reuocari, vt opus gratiæ eius maiori gloria celebretur,* non essem insipiens. Sed quis innumeram doctissimorum virorum turbam dinumeret?

Quare sicut inter cætera miracula, quæ Dominus gessit in terra, illud inter alia enituit, quod in paucis simplicibus totum mundum, & omnem sapientiæ eius altitudinem sibi subiugauit, ita per hos Fratres omnem fastum Mundi, & gloriam seculi confundit. *Videte* (illis quoque dici potest) *vocationem vestram,* 1. Cor. 1. *quoniam non multi nobiles, non multi sapientes secundum carnem, sed infirma mundi elegit, vt fortia quæque confundat. Vbi sapiens inter vos? vbi scriba? vbi conquisitor huius seculi?* nam, & si multi sint, & innumerabiles eximia eruditione referti inter eos, per simplices tamen sapientes idẽ conuertit quotidie, qui Reges olim, & Philosophis huius mundi per eosdem attraxit. Vestra namque simplicitas, iam multos prouocat ad æmulationem. Vestra sufficientissima, & altissima paupertas, iam multorum confundit cupiditatem. Vestrum secretum, iam earum rerum, quæ tumulum faciũt, vel facere videntur plu-

ribus incutit horrorem Altissima est professio vestra; cœlos transit, par Angelis est Angelicæ similis puritati. Degentes enim in cellis, excluso à vobis toto sæculo, totos vos inclusistis cum Deo, & quod geritur in cellis, hoc & in cœlis, ibi enim iugiter vacatis gustando, quam suauis est Dominus, quod, & faciunt Angeli in cœlo, vnde & cellæ similiter pro cœlis, & æquè delectamini in cellis, ac in cælis. Studia quoque vestra (vt pote erudita Seraphici doctoris doctrinam sectantes) non sunt cauillantia, non garrulla, sed spiritualia, pacifica, & humilia humilibus consentientia, in quibus adeo profeciſtis, vt prædicatione vestra, non in humanis sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis praui multorum catholicorum mores in dies emendentur, & hæretici innumeri austeritate, mortificatione, exemplo conuersationis vestræ frequentissimè eieratis erroribus ad caulas Dominici gregis reducantur. Et mundo innotesceret, quãti meriti apud Deum esset congregatio ista, multis alijsq; spectatissimis viris sanctitate præstantibus, decorata est.

Aspice Patrem fratrem Bernardinum de Georgio, qui vitæ asperitate, & cœlesti con-

uer-

uersatione eandem illustrauit abundè.

P. fr. Franciscus Rhegiensis dictus Palomon dono contẽplationis prę cęteris virtutibus insignitus est, vt viuentem adiuuaret eũ Deus vultu suo, specieque summi boni, contemplantem alliceret, & à contemplatione viæ ad patriæ contemplationem (contemplãdo enim mortuus est) eundem perduxerit.

P. fr. Bernardinus Bisinianensis hęreticorum Luteranorum, qui tunc orti sunt, malleus fortissimus, eandem, quã verbo tutatus est fidẽ, exẽplo, & vitę sanctitate obsignauit.

P. fr. Bernardinus Astensis omni virtutum genere exornatus, inter cetera in voluntaria subiectione, & sui deiectione, excelluit, vt quò infra se descendere, supra se ascendere meruit, & humiliando se magis proficeret, vt quoque humilem spiritu susciperet gloria.

P. fr. Ioannes de Fano velut alter Saulus Paulus effectus, admirabili couersione diuitias gratiæ Dei mirificè commendauit vt fuerint lachrymæ eius panes die, ac nocte faciés dignos fructos pœnitentiæ, vt multum sit dimissum, quoniam dilexit multum, eoq; magis viam mandatorum, ac consiliorum feruenter cucurrit, quo se recolebat illicita patrasse, vt

multo pretiosior fuerit vita ardés amore post culpam, q̃ securitate torpens innocentia.

Quis vitam, mortemque Sanctam Patris Francisci, Dominici Bononiensis, & Patris fr. Raphaelis de Vitera dignis laudibus valeat enarrare? quis felicissimum mortis agonem Patris fr. Ludouici Regiensis digno encomio celebrabit? Quis tot, & tãtorum Patrum nobilissimos, & triumphales exitus, de huius sęculi principe, de ipsa morte, glorioſa trophęa reportantes, qui ideo litteris hucusque (ad manus meas non peruenerunt) non sunt demandati, quoniam hæc virtutum studia sunt sanctæ religionis, vt non tam flores, quam radices habeat, nec curant, vt luceant, sed vt sint, non vt sciantur, sed vt habeantur, vnde non mirum si è vita excidendo pauci notantur excessus sanctitatis, quia dum oẽs per sanctitatis vestigia gradiuntur, dum excedunt omnes, nullus vtitur excellere.

De illo insigni fratre reticere non possum, qui nostri sęculi est maxima gloria, is est fr. Felix Capuccinus conuersus mirę abstinentiæ, & puritatis, & innocentiæ, signis, & diuinis operibus illustris, qui anno Dñi 1586. Romæ diem clausit extremum magna sanctitatis opi-

nion

nione, de quo Bozius de signis eccles. lib. 12. c. 21. tale testimonium perhibet. [Nos etiã Romæ nouimus, quod omnes sciunt Felicem Capuccinum, maximæ sanctitatis virum, è cuius corpore liquor manauit, & ad huc interdum manat odorus ad omne morborum genus pellendum mirifice valens. Eius corpus est in S. Bonauenturæ templo reconditum.] inter Beatos merito abscribitur.

Sed & P. fr. Laurentius Brunduſinus, vir doctiſsimus, atq; pientiſsimus, Regulę S. Frãciſci exactiſsimus cuſtos, cum contemplationis exceſſu actionem ita coniunxit, vt ne dum ſibi, ſed Regnis, populis, rerum agendarum prudentia, maximo Reipublicę Chriſtianę bono, eximio fuerit adiumento. cum opinione ſanctitatis Vlyliſiponæ moritur 1619. In vita, & in morte ſignis, & virtutibus claruiſſe compertum eſt. Authoritate ordinaria in diuerſis orbis partibus hęc omnia ad finem beatificationis, & canonizationis recipiuntur, & examinantur. Fernandez. in Hiſtor Eccleſ. lib. 3. c. 13.

Noſtrorum vero temporum Prælatos, Epiſcopos, Archiepiſcopos, S.R.E. Cardinales huius familiæ inſpiciens videre mihi videor carbunculos, imo tot ſtellas in firmamento

Eccle-

Ecclesiæ relucentes. Inter hos emicant Illustrissimus, & Reuerendissimus D. F. Felix Cētinus, qui è Procuratore ordinis, & consulto. re Sancti officij, doctrina, & virtutum merito, Sacro Collegio adscribi meruit, & Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Fr. Antonius Barbarinus S. D. N. Vrbani VIII. secundum carnē germanus frater, miræ integritatis, sapientiæ, & prudentiæ, exemplar religionis, & Sacri Collegij eminentissimum Sydus, ambo Sacri Tribunalis supremi Inquisitores. Archiepiscoporum, & Episcoporum numerum quis recenseat? pluuiæ guttas quis dinumerare potest?

O glorioſa S. Francisci germina, quę sub triplici Duce partita sub generali Minorum de obseruantia, Generali Conuentualiū, Generali Capuccinorum, tres quasi proceres arbores sub vne sanctiſſ. Patriarchæ Seraphici Francisci stipite domonstrāt, quæ pariter tria tabernacula constituunt (vbi tot Dei milites castramentātur Ecclesiam Dei strenuè defendentes) sub vno Francisco totius Franciscani exercitus ductore præclaro. Hanc vestem deauratam circumdatam triplici ista varietate festiua, & exultans induit mater Ecclesia,

non

non secus, ac sponsa induit se tunicam iucunditatis suæ, & sicut sponsa imponit sibi Mitrã, ac vario se componit ornatu. Et vt cœlũ fulget luminibus suis, & terra vernat floribus suis, & vt hortus producit germina sua, ita produxit lætitiam in conspectu omnium filiorum suorum. Feruet, feruet in multis adhuc Seraphicus vestri patris spiritus, quem nec temporis rabies, nec humana fragilitas extinguere potuit, imo sicut tempora eundo veniunt, & esse incipiũt cum desistunt, ita iam incipit religio vestra cum desistere existimatur, & dum putant aliqui religionem vestram antiquatam, tunc iuuenescere incipit, & nostrorum temporum Fratres vestri, sicut nouellæ plantationes à iuuentute sua germinant flores, & fructus iucunditatis. nam, & semina quoque nascuntur, crescunt, adolescunt, iuuenescunt, senescunt, decidunt, moriuntur, & iterum vitalibus sepulta sulcis resoluta putredine salutari, ex morte in vitam suam redeunt de corruptione propriam suscitantur in formam, & sol dum cognoscit occasum suum tunc Antipodis illucescit.

Hoc Apostolicorum Virorum labor ostẽdit; Hi. n. primitus in nouam Hispaniam in

Gonzaga in prou Sancti Euã gel.

Indos occiduos Christi fidem adduxerunt, vt vna die, vnus solus septem mille Indos baptizaret, alter quadrigentos mille diuersis vicibꝰ sacra vnda aspersérit, & fr. Martinus de Valentia suis manibus, plusquam centum millia quoque baptizasse perhibeatur, & nullus sit angulus, vel Occidẽtis, vel Orientis, quẽ luce Euangelij non collustrarit Francisci soboles.

Hoc amplificatio vestræ religionis ostendit, vt in sola Fratrum Minorum de Obseruantia numerentur Prouinciæ octuaginta sex, Conuentus innumerabiles. Ex familia Conuẽtualium, sicut & Capuccinorum, non paucæ Prouinciæ recensentur, vt extendere oporteãt funiculos, tentorij eius.

Hoc monstrat Martyrum tuorum toto orbe diffusus sanguis, nam tanquam oues occisionis prædonum diripiuntur incursu, mactãdæ, in carceribus, velut latrones clauduntur antris, à persecutoribus, quasi sæuientibus lupis sine cessatione laniãtur, ab hęreticis, quasi ab extraneis canibus radibo dente carpuntur, vnde membra data bestijs, consumpta ignibus, demersa fluminibus, vt multiplicaretur fructus Christianorum, & fœcundo cespitę horum sanguine irrorata terra vestra, stillicidijs

cidijs sanguineis germinum multitudine responderet, vnde non tam ipsi martyres vti oues traditæ lupis sunt, quam lupi illis subiecti, quandoquidem cruori illarum donatum est, sic interfectores vleisci, vt sanguine eorum tincti fulgerent, vt regalis purpura iuncta canalibus,& niueo vellere baptismi gratia suscepta de lauacro ascenderent, velut oues, & sterilis non esset inter eas.

Hoc vel ipsi hostes,& inimici demonstrãt dum solam Sacram hanc Familiam nunc in Palęstina degentem in Monte Syon, in Sancto Sepulchro, in Bethleem, Valle Iosaphat, Nazareth, Monte Oliueto, Bethania, Iordane pascunt, atque sustentant, non secus ac corui Eliæ portionem ministrantes, sic. n. decet omnem iustitiam, vt fide destituti faciant quoque verbum eius, (quo etiam non solo pane viuit homo) in obsequium eorum qui prędicant verbum eius, & fiat abundantia in turribus Domini, vt sustententur bellatores altissimi, & proprijs stipendijs pascant, qui arma, & sagittas aduersus eos dirigunt, vt posternantur corda inimicorum Regis.

Congruè pro Terra sancta Seraphicos fratres Dominus elegit, cum enim Terra sancta

*Domus Dei sit, & porta cæli*; eos ministros habere debebat, qui nomine, & re Seraphim ardentes cęli incolas imitarentur; custodia fascium infantiæ Saluatoris ijs debebatur, qui altissimam paupertatem profitentur; Sepulchri posessio erat consignanda (cum cęteris locis vbi memorabilia actionum Christi Domini recẽsentur) ijs, qui illius religionem profitentur, in cuius carne eiusdem Christi crucifixi vestigia sunt impressa. Oliueti cum Valle Iosaphat assignãda eisdem domus erat vbi iudicij prõptissimos habebit pauperes iudicaturos duodecim Tribus Israel, vnde quoque legimus, Iudicium est pauperum.

Vos certè Patres ministri verbi, adiutores Dei, oracula Spiritus sancti, qui tot in Insulis, editis mirabilibus ecclesias fundastis, tot populos Apostolicis prædiri virtutibus regitis, fidem Catholicam verbo, exemplo, scripto, prædicationibus, disputationibus, & cũ opus est membrorũ vestrorum laceratione, & proprio cruore defenditis. qui nihil possidentes omnia possidetis, Deum. n. possidetis, facti & vos possessio Dei, quibus renuntiantibus omnia, omnium rerum conditor census & hęreditas fit. Quid vltra quærere possunt, quibus;

bus omnia huius conditor sit, aut quid ei suffuit, cui ipse non sufficit. Sed cum ipse solus ipsus sufficiat, omnibus renunciant, propter quæ diligitur mundus; vt excluſa cupiditate Mundi, diuina in eis charitas posſit augeri, vel perfici, vnde tanquam leuis armaturæ milites ab omnibus implicamentis negotiorum sæcularium animos remouentes, cœleſtia sapiunt, terrena deſpiciunt, ijſq; virtutibus quibus in dies ſingulos, ſiunt Deo propinquiores, incumbunt. *Expedit quidem multis in vna communitate viuentibus in communi, facultates Eccl. ſic poſsideri,* vt dicit S. Proſper vt vna ſolitudine, omnium in tali communitate viuentium ſublata, omnes qui ſub ea ſunt fructuoſa vacatione potiantur, ſpiritualiter, & quietè, tamẽ *ſi (quod abſit)* nonnulli horum *ſæcularibus negotiis impliciti fundorum terminos ſine termino cupiditatis extendant, &c. contemplatiuæ vitæ participes eſſe non poſſunt,* nec vacationem illam, & guſtationem Dei delibare, nec ad perfectionem quam de guſtant pauperes Chriſti pertingere. Vnde ſponſo poteſt eſſe gratior multarum turturum gemitus (illorum in quam pauperum religioſorum, extremam paupertatem profitentium) quàm multarum auium etiam fœcundarum exterius rutilans,

Mutuata ex S. Proſper. lic. 2. deuita contemp. c 9. & habetur ic c. 12. q 1. c. expedit.

Vide S. Th. 2. 2. q. 188. a 7.

2. de vita contempl. c. 10. ex operibus misericordiæ, admirabilior pulchritudo, si soliditate aliarum virtutum, & intentionis puritate destituerentur, dicente eodem Prospero. *Perfectior est ille qui se mundi rebus expoliat, aut cum nihil habuerit nec habere desiderat, quam ille, qui ex multis quæ possidet aliquit præstat, ac se de eo quod præstiterit forsitan iactat.*

## CAPVT XXV.

### De florida, & fructificante nostris quoque temporibus vinea Sancti Augustini.

SED & vinea S. Augustini quantum temporibus nostris efflorear, age videamus. Rubricatos martyrio, quæso, aspice; occurrit tibi in Anglia Ioannes Stoneus Augustinianus, qui Cantuariæ tetro incluſus carceri, pro Fidei Catholicæ confessione, ab oratione, & ieiunio, non desistens, vocem diuinitus delapsam audiuit, quæ eum ad agonem Martyrij intrepidè sustinendũ animabat. qua animatus, nec pollicitationibus allectus, nec minis examinatus, maluit fortiter mori pro iustitia, quã Regis Henrici VIII. parere volũtati.

Surius in comment. in orbe terrarum gestis anno. 1555. Alan. cop. dial 6. cõt. Magdebu. cap. 44. Ex Centur. 7. Hieron.

In Gallijs in Ciuitate Nemes, Pater Quatiebras

tiebras insignis concionator in odium catholicæ fidei à Caluinianis, viuus decoriatus, linquaque postea, & extremis digitorum partibꝰ præcisis, capite plectitur; vbi prius, tanquam alter Stephanus in cęlum oculos extulisset, & pro persecutoribus exorasset. Apud Mõtem Pesulanum Magister fr. Augustinus Guarinus carceri mancipatus, è catenis euolauit ad Regnũ. Nicolaus Tolentinas Hispanus in Peloponensi propugnatione Martyrij, & coronæ eo quod crucifixi imagine Christianos inuitasset, à Turcis captus, tam diu fuit verberibus cæsus alijsq; cruciatibus affectus donec animam efflaret. Eius corpus postea membratim discissum est. Rom. & Fernandes in hist. eccles. lib. 3. c. 20.

In Prouincia Occitana duo Patres Lusitani crudeli morte cruciati palmam in cœlum intulerunt. Augustinus Guarinus in Gallia Narbonẽsi ob diuini verbi prædicationẽ qua Hæreticos debellabat, ab ijsdem vinculis alligatus, grauissimisq; supplicijs affectus mortẽ tandem pro fide catholica oppetijt 1568.

Apud Iapones anno 1617. P. fr. Hernãdus de S. Ioseph post vberes fructus conuersionis Gentilium reportatos, & Iaponicæ vineæ culturam indefessam, vna cum fr. Alphonso Na- Reuérendiss. Lopez 5. p. Centuriæ Prædic.

uarret

lib.3. c.53. uarrette Dominicano capite obtruncato, vbi preuis gladium quo feriendus erat, exoſculatus eſſet, victor triumphali curru, ad Martyrum chorum euectus eſt.

Fernandez lib.3.c.41. Ex familia Præmonſtranenſium, quæ S. Auguſtini Regulam profitetur, prodiere illuſtres Martyres fr. Iacobus Lacoguius, & fr. Adrianus, qui præclariſsimo confeſsionis teſtimonio fidem catholicam obſignarunt.

Ex eodem. Ex familia Sancti Hieronymi, quæ ſub Auguſtino militat, veſtes ſuas pariter rubricarunt Pater Fr. Ioannes Rixtellus, & Pater frater Adrianus Textorius.

Ex lilijs vero Virginum, & Confeſſorum plantis, & floribus amæniſsimis, Ordo Eremitarum, odor agri pleni, cui benedixit Dominus merito eſt appellandus. Tot certè ſunt ex DEI gratia, vt quos eligam ad coronam laudum, huic familiæ attexendam, prorſus ignorem, qui ſi ſinguli (omnibus ad eorum pulchritudinem commendandam inuitantibus) celebrandi eſſent, oratorum latera deficerent, immortalium annalium monumenta ſcriberentur, ſilentio committuntur, notoria, & recentiora euulgantur.

F. Anton. Aſpice quæſo illum Apoſtolicum virum Patrem

Patrem fr. Franciſcum à Cruce, qui cum fructus vberes, quos ordines S. Dominici, & Frãciſci in Indijs Occiduis reportabant audiſſet, tanto erga animarum ſalutem flagrauit incendio, vt delectis alijs ſocijs Patre fr. Auguſtino de Lorſenna, Patre fr. Hieronymo Ximenez, Patre fr. Ioanne à S. Romano, Patre fr. Ioanne de Oſeguero, Patre fr. Alphonſo Boria, Patre fr. Gregorio Abulenſi viri religione præſtantib⁹, more fulminis, ſuperatis Oceani verticibus, & Neptuni fluctibus edomatis, eius nutu cui mare, & venti obediunt; in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, in Inſulam Hiſpaniolam appulit; lachrymis, ieiunijs, oratione, prædicatione, inuumeros, filios Chriſto generans; cuius miniſterij neſcio quid primũ mirer, an velocitatem, quòd paucorum annorum ſpacio Auguſtinianã familiam cum Chriſtiana religione propagauit, an multitudinem ſegetum, quòd immenſas nationes ad aream Chriſti importarit, an eius iter indefeſſum cũ ex Indijs ad Hiſpanias remeãs ſemel, atq; iterum, vt alios operarios (meſsis enim quidem multa erat, operarij autem pauci) ſecum aſportaret. omnia certè admirabilia, cuncta digna triumpho. Illud certè admirabilius, quòd cũ

de S. Rom tract. 4. S 1. & Hieron. Roman. in cent.

iſte vir ſolum grammaticam calleret, tantæ fuerit efficatiæ ſermo eius, vt inſignes Theologos in admirationem raperet, ex altitudine ſapientiæ, quam ſine ſtrepitu verborum, Deus illi communicabat, cui nec hoc difficile, qui ad ſapientiæ decorem prophetiæ donum, & miraculorũ gratiã adiunxit, & ſuper hæc perſeuerãtiæ donũ, quod omnia exuperat, ſanctè moriendo non leuibus indicijs demonſtrauit.

Sed P. fr. Auguſtinus de Corunna 1572. creatus Epiſcopus Popaianẽ. nihil de vitæ auſteritate commmutans, nec ſimplicis fratris conditionem, eò vberiores verbo, & exemplo fructus reportabat, quò cæteros adiutores, etiam Epiſcopali dignitate ſuperabat, vnde plenus meritis duplicatam in cœlis mercedem habere promeruit.

At Fr. Alphonſus de Borja poſt diuturnos labores exãtlatos in excolenda eadem vinea, cum infirmaretur leuiter, iudicio medicorum, nihilominus, ac ſi vltimum præſentiret ſibi adeſſe diem, petijt ſibi adminiſtrari Sacroſanctam Euchariſtiam, mox ſibi parari Extremã vnctionem, quo expleto vbi fratres adhorratus eſſet, vt reſponſorium moribundi recitarent, vix illo terminato, erigens manus, oculoſq;

loſq; ad cœlum dirigens, illumq; verſiculum pronuncians. *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* in pace quieuit.

P. fr. Hieronymus Ximenez. B. Thomæ de Villanoua diſcipulus, eximiæ perfectionis & obſeruantiæ regularis tenaciſsimus, quam mirificè etiam promouit toto ſui Prouincia latus tempore, quo bis Prouinciam rexerat, vnde forma factus gregi ad perfectionis apicem inuitabat, ad quem aſcendiſſe felix eius exitus conteſtatus eſt.

Michaël Salon in vita Beati Thomæ Villanouę lib. 1. c. 6.

P. fr. Chriſtophorus de Sancto Martino, & P. fr. Petrus Pampilonēſis, Ioannes Cruzati eiuſdem Sancti viri diſcipuli, feruentem prædicationis ſpiritum magiſtri ſortiti fidem Catholicam mirificè ibidem propagarunt.

Quis autem ſine lachrymarum fonte recenſere poterit admirabilem vitam Patris fr. Antonij de Rea, qui vt Indorum gentem ad peccādum procliuem, ad lachrymas pro culpis effundendis duriſsimam cerneret, præter nuditatem, humi cubationes, ieiunium ex herbarum radicibus conſtans, aſperum cilicium, quo membra domabat ferream catenam, qua lumbos conſtringebat; ſi de paſsione Dominica prædicare contigiſſet, medio denudato

corpore crudelia flagella sibi inferri, iniurias alapas postulabat, vt maiora his Christum Dominum passum mentibus illis imprimeret. Si vero de Inferni cruciatibus, expansa flamma in modum lecti tantisper ibi quiescebat quandiu Dominus illi spiritum, & vires sustinendi largiebatur, à quo postea resiliens, & fugiens, ac si tantum ardorem sustinere non posset, satis etiam facto suadebat, quam durum sit peccatores arsuros, tanquam paleas igne inextinguibili. Et vt flammas carnalium peccatorum in ijsdem extingueret, super viuos carbones incedens, contra ea facinora prædicabat; & toto quadragesimæ tempore, qualibet die tertia, feruētis resinę guttis aspergi volebat in peccatorū remissionem, vt duplici admiratione tenerentur Barbari, & quod nullum vstionis indicium, ex flammis, vel ardore relinqueretur in corpore; & quod ad tot tormēta ferenda non esse sufficientem humanam carnem, & sanguinem, sed superiorem naturam induere, necesse esse fatererentur. Demum ac si esset Angelus in carne, in ministerium missus est illorum, qui hęreditatem capiunt salutis, nec itineri, nec laboribus parcens, vbi etiam cum multa miracula perpetrasset,

Ange-

Angelorum consortio creditur aggregatus, qui in carne viuens, super carnem positus, in virtute eosdē Angelos est imitatus. P. fr. Ioannes Hispalensis in conuertēdis animorum Indis ad verum religionis cultum summo studio defatigauit, idem præstitit P. fr Nicolaus de Vitte Flander, qui relictis omnibus paternis totū conuersioni eorūdem se mancipauit.

Non minoris sanctitatis, & perfectionis effulsit in Indorum cultura P. fr Io: Baptista de Ianen filius conuentus Salmantini, cui nihil dulcius, quam pro Christo ignominiam pati, nil suauius obediētia, & austeritate, vt totam quadragesimam solis quinq; panibus durissimis contentus transegerit. Porrò tanta fuit obedientiæ vis, vt cum panis deesset operariis, quem iam in pauperum vsus distribuerat, & à superiore arctatus ad alios procurandos, & reperire non posset è cœlis panes impetrauit tantæ suauitatis, vt operarij confessi sint, nunquam per totam vitam similes degustasse, cumque occupatus in Apostolico labore ad extremum deduceretur lętissimè morti occurrēs, Sacrosanctę Matris Ecclesiæ Sacramentis munitus, suaui contēplatione spiritū in se colligens, illum tādem ad factorem suum placi-

dissimè transmisit.

P. fr. Alphonsus de Veracruce multis annis in Mexicana Prouincia Theologiæ cathedram moderatus est, cuius glorioſos labores, etiam eius scripta testantur. Vigintiquinque annorũ spacio diuini verbi prædicatione lingua Mexicana Indos illos, vel ad fidem adduxit, aut in eadem etiam sanctis operibus roborauit. Ad Episcopatum Nicaraguæ designatus à Philippo Secundo illum constantissimè recusauit, eligens magis sub humilitate religiosa suaue iugum portare, quã onus illud Angelicis humeris formidãdũ subire; sub eius magistratu nouẽ conu: insignes ibidẽ erecti.

Ioseph. Pipil. in histor. Augus.

Anno vero 1550. ex chrõ: August. PP. FF. Augustinus Salazar, Ioannes à S. Petro, Andreas Ortega, Hieronymus Melẽdez, & Balthazar Melgareius, viri doctissimi, & religiosissimi Peruanam prouinciã penetrarunt, multa Monasteria ibi construentes, innumeras Gentilium exuuias Christo consecrantes.

In India vero Orientali in Regno Goensi clarus in Annalium monumentis recensetur Archiepiscopus Goensis Augustiniani pariter instituti, qui à parente suo non degenerans animarum salutiintendens, christianos illos,

qui

qui suum censum ad S. Thomæ Apostoli prædicationem referebant, progressu tamen temporis, Nestorij hæresi, & schismate infectos, Ecclesiç Romanæ incorporauit.

In Insulis Philippinis eminẽtes viri in perfectione refulgent. Inter hos P. fr. Andreas de Vrdaneta insignis Cosmographus cum P. fr. Martino de Rada, P. fr. Hieronymo Marẽ, & tribus alijs eiusdem sodalitij. Hi omnium aliarum religionum primi eas Insulas penetrarunt, populos illos instruxerunt, catechistarũ domos fundarunt in Insula Zebu, & Pindatos, Luzon, Ylocos, Pãgagna, Pãpagnasina. Pueros, ibidem ne dum in fide, moribus, sed in liberalibus artibus imbuerũt, eam vineæ portionem tanto labore, & sudore excoluerunt, vt quamuis, euntes, & laborantes mitterent semina sua lachrymis rigantes, atq; fouentes, plenos reportarint manipulos æternæ mercedis, & felicitatis cum animarum fertili messe. Ioseph. pãpil. sup.

Quid alios Europæos merorem? fulget mirifice P. fr. Gonsaluus Barachona Castellanus vir religiosissimus, qui hoc meruit, vt cum fratres, quadam nocte in choro deessent, ipseq; solus matutinas horas persolueret, Angeli assiderent, & responderent. Pamphil: in chron. 1519.

Scin-

Scintillat quoque P. Fr. Aluarus Monero Lusitanus Vlysponensis, qui cum christianæ pietati sacrarum litterarũ studio, & orationi se consecrasset, multis indicijs sanctitatis ostensis ex hac vita decessit circa annum 1538 extat eius vita hispanico sermone descripta à Ioseph Pamphil in Chron.

Emicat vero præ ceteris, qui cum sanctitatis opinione mortui sunt, aut inter Beatos recensentur (quos recensere sigillatim eloquendi superat facultatem) B. fr. Thomas de Villanoua cognomento, Archiepiscopus Valentinus miræ sanctitatis,& miraculorum gloria coruscans, qui Domini gloriam continuis orationibus, & sanctis meditationibus speculando, in eandem imaginem transformatus, tanquam à Domini spiritu, à luminum fonte, immensum virtutum omnium hauriens lumẽ, Moysem æmulatus est (cuius facies ex diuinis cum Deo colloquijs tantum hausit splendorẽ, vt in eius vultum Israelitica gens oculorum aciem non posset intendere) & orationis catenula, ex gemitibus, & affectibus inenarrabilibus contexta (longè eapreciosiori, quã fabulati sunt Poetæ à Ioue de cælo demissa, vt in sublime Deos illos fictos, in sublime extolleret)

ret) quomodo verus Deus ad homines traheretur, non tam verbo, scripto, quam exẽplo, & facto edocuit. Sed quis soli splendorẽ addere, potest? satis ex se fulget, vt non egeat Rhetorum luminibus, cuius radij pro beatificationis honore, nuper ab Ecclesia Romana positi sunt ad caput eius exornandum, quod iam in cęlis inuisitur ornatum omni lapide precioso.

Fructus vero vberes, quis enumeret? si huius familiæ (quod etiam ceteris est cõmune) alios non recenseret quispiam, quam vel solas preces, & tacita merita, quæ plurimum apud Dominum possunt, satis ostẽderet, eum esse populum ad laudem Dei formatum, quãdo vt de õnibus scripsit religiosis D. Bernard. *Eos constitutos esse, orare pro corpore Ecclesiæ, tam pro* stn parul *viuis, quam pro vita defunctis*, quanto magis cum crm. 95. iam fœcundior demonstratur, quæ lucet innocentia, radiat castitate, fulget actu, pingitur moribꝰ, incessu micat, sanctitatis toto magnificatur ornatu. Non vnum, vel alterum instituta sancta seruantem intueberis, claustra penetra, cœnobia percurre, ea præsertim, quæ reformationis titulo illustriora sunt, & paupere domus orbe tamen ipso ditiores, discalceatorum eremitarum ingredere, certè plurimum

mum, ex sola pedum nuditate, aspero, & pannoso vestimento, quanta virtus intus effulgeat & rerum contemptu addisces. Sunt ibi, vt de veteribus scripsit Io: Chrysostomus. *Omnia illecebris vacua, & ab omni interpellatione, & inquietudine libera: insuper sunt portus tranquillissimi, quos qui inhabitant, velut ignes sunt, quod cum è loco editori emicent lucem eminus exhibent aduentantibus, cumque in portu residerent, ceteros ad suam alliciunt tranquillitatem, neque eos, qui se intuentur pati naufragium sinunt, vel inteneobris esse, qui ad se oculos intendunt. Adi igitur viros tales, vtere vtere eorũ contubernio, accede inquam, sanctos tange pedes, multo. n. honestius est illorum pedes amplecti, quam aliorum caput.* Illi autẽ spectabiliores, qui ex Ecclesiç defensione, tam aduersus hęreses, quã Gentiles à viris eiusdem familiæ spectabilissimos fructus reportauerunt.

Homil. de dispens. rerum, & hom. 59. ad popul

Anno 1540. cum hæresis Lutheri grassaretur, P. fr. Ioannes Offmeisterus Sueuus Vicarius Generalis verbo, & scripto illam indefessè confutauit, non parum pro Ecclesia laborans, cuius labores, Carolus Quintus Episcopatus honore cohonestandos putabat, sed maluit religiosus iste humilis in peditum ordine relinqui, vt expeditius hostibus Ecclesiæ bellũ inferret, quam in fortiorum ducum cuneo annumerari, sentiens armatum, armatura fortium non posse incedere. Veneno extinctum

ab

ab Hæreticis tradunt nonulli. P. fr. Peregrinus Naſellus Patauinus Theologus multa aduerſus Lutheranam hæreſim doctiſsimè conſcripſit, ſimiliter & P. Petrus Aurelius Venetus ex Nobili Sanutorum familia.

P. fr. Auguſtinus de Ieſu in Germania, ſimiliter multos hæreticos ad Eccleſiæ vnitatē reduxit, qui & in conuentu Pragenſi Eremitarum ordinis Cœnobium conſtruxit. Ab imperatrice Maria procuratum eſt, vt Archiepiſcopus Bracharenſis crearetur, quo munere cunctis virtutum titulis vbique fulgens, operum magnitudine notus vniuerſis, Paſtoris exemplar perfectum poſteris imitandum reliquit. Conſimiles zeli virtus firmas iecit radices in pectore P.fr. Georgij Scherrer Viēnæ Auſtriæ, cuius ſermo ignitus frigida calefecit, accendit extincta, combuſsit noxia, & portentoſæ Hydræ capita igne, & mucrone Sancti Spiritus reſecare ſatagebat. Quis cunctos enumerare ſufficiat? Gentilium fructum magna ex parte recenſuimus, cum ſupra memoratos viros Apoſtolicos enumerauimus, qui non vnam, vel alteram gentem, ſed integras Prouincias vel ad fidem inuitarunt, vel eandem penitus perditam reſtituerunt, & integra-

Fernandi hiſt. Eccl. lib. 5. c. 15.

runt. Nouissimos addimus operarios, duos religiosos, scilicet eiusdem instituti, qui ab Archiepiscopo Goensi P. fr. Alexio in Persidem ad Regem Nuncij destinati, tantam sibi gratiam Regis conciliarunt, vt eis permissum sit in Aspao Metropolitana ciuitate Regni tẽplum, & cœnobium fabricare, vbi sacris fungentes, mirificè inter infidelitatis tenebras lumen fidei resplendescere procurarunt, vnde & multos Mauros baptizarunt.

Conca lib. 3. c. 12.

Ex Alouſ. Vreta lib. 2. c. 1.

Anno vero 1602. relatio à Prorege Indiarum fida, & authentica ad Philippum III. trãsmittitur, vbi recensentur operarij strenuè dominicæ messis P. fr. Leonardus de Gratia, P. fr. Sebastianus de S. Monicha, & alij eiusdem instituti professores, qui multos infideles ad Christum cõuerterunt & inter illos mille sexcentum sexaginta Mauritanos, Regemq; Pẽba, & Pati, quem Philippum in baptismate vocauerunt, & eiusdem Regis consanguineum, duosque similiter sanguine iunctos Regis Ambusa, tresque alios affines Regis Melinde. Iidem similiter in Ciuitate Vgolin, in regno Bengala, & ciuitate Bombasa, tanquam illustre trophæum baptismate cõsecratum Christo attulerunt. In Goa vero Regem Badaron nepo-

nepotem Magni Magor ad fidem adduxerũt, in Olmutz Principem hæredẽ Regis Xequeaio vitali vnda regenerarunt, longum esset omnes percensere, aliquos exempli causa adduximus. Patres reticemus, Doctores præterimus, satis ex chronicis ordinis huius clari habentur, quorũ agmen memoria insignis Cardinalis Hieronymi Sacripandi Legati in Concilio Tridentini claudat: cuius tanta fuit virtus, & eruditio, vt merito sit à diuina prouidẽtia destinatus, tanquã alter Michael Archangelus ad pręliandum cum Dracone Martino Luthero, qui maximam partem stellarum cęli post se trahere nitebatur & pugnauit cum eo, & fecit victoriam. In eodem Concilio alij eiusdem instituti viri celeberrimi Episcopi, & Theologi claruerunt, inter quos Ioannes Munatones Episcopus Segobiensis Caroli Principis filij Philippi Secundi magister, & Præceptor maximè enituit. Quis alios eruditissimos Patres enumeret in absoluendis quæstionibus acutos, in reuincendis hęreticis circumspectos, in exponendis sacris Scripturis eruditos? Quis Oceanum in alueum concludet? Ad alias vineas properemus.

Vide chronicon Iosephi Pamphili Episcopi bignensis impress. Romæ 1551.

## CAPVT XXVI.

### De Carmelitarum vinea nunc etiam flores, & fructus parturiente.

CARMELVS etiam longè, latèq; odorem suum diffundit, cùm non ad momentum spiritum permansurum Elias raptus in cœlum, successoribus reliquerit; vnde & petenti Eliseo, vt duplex in eo fieret spiritus; obtinuit tandem, vt intelligeremus non sopitum iri quocunque euentu, quem Dominus elargitus est duplicatum. *O hæreditas certe pretiosa, in qua plus relinquitur, quam habetur, plus consequitur, qui accipit, quam possideat, qui largitur. Pretiosa planè hæreditas, quæ dum à patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur.* Hunc duplicem spiritum, quem reliquit Elias ad posteros trãsmissum continua successione, cernimus in actione, & contemplatione, in doctrina, & pro doctrinæ defensione in martyrio, in spiritu, & virtute Eliæ procedentes, Eliſei facta imitãtes: Vt. n. Elias tanquam ignis ardens zelo zelatus pro domo Dei, ipsius legem defendebat, nec ipsas coronas formidabat: sic & ista religio intrepidè ignem reprehensionis spirat, ne caro

Ambros. serm. 87.

caro tumeſcat ex crimine, aut vitiorum ſanie fragilitas humana corrumpatur, & ferrũ compunctionis adhibens (ignitum. n. eloquium Dei vehementer) opportuna medicina ſuccurrit, vt ferat amaram pœnitentiæ curã, qui ſeruare debitã noluit ſanitatem. Et quemadmodum Eliſeus ſterilitatem auertit aquarum, ſucceſsionem largitur hæredum, non vnum, aut alterum, ſed totius ciuitatis populum reparando; ita ſale prædicationis, & doctrinæ mundum fallentes, reſecãdo ſacrilegia populorum, prolem cęperunt germinare virtutum. Et vt irrigua quoque eſſet iſta plantatio, neue perſecutionum ſole exiccaretur, ipſi quoque ſanguine irrigarunt, vt ſecus decurſus aquarum fundata plantatio, vberiores fructus produceret in tempore ſuo.

Notiſsimum, & omni laude dignum ad poſterorum memoriam æuiternam in Galliæ Regnis exẽplum accidit. Hugonotiſmo namque graſſante, ſacras ædes concutiente Cœnobia expilante, ipſorum ſiquidem Hugonotorum Duce truculẽto ad ſacram ſuppellectilem, ad Dei tabernacula inuadenda, & vſurpanda auidiſsimè anhelante; vbi Catholicorum ædes per vim, & dolum milites occupaſſent.

Fernandez lib. 8. hiſt. Eccl. c. 20 F. Didacus de Coria hiſt. Carmelit. lib. 12, c. 10,

ſent, ampliſsima alia templa incēdiſſent, Dux Carmelitarum cœnobium, multorum ſtipatus agminibus, ad aggrediendum, & trucidandū varijs armis inſtructorum aggreditur, contra regis, quem contemnebat auctoritatem, contra patriæ pietatem quam proculcabat, contra Dei legem, quam alijs etiam ſacrilegijs diſcerpabat. Vix fixerant impietatis tentoria hoſtes perduelles, cum Prior conuentus accitis fratribus, illos adhortatus eſt, non arma mouere, non clypeos vſurpare, non vibrare lanceam, non arcum tendere, vel iacula contorquere, ſed forti animo accingi ad quęque pericula ſubeunda, etiam ſi mortis pro Chriſto ſuſtinendæ daretur occaſio. Vultuque in cœlum verſo tales Chriſto porrigebat preces, Trahe me poſt te, quia omnia per crucis mortem ad te traxiſti. Curremus ego, & pueri mei, quos dediſti mihi Deus in odorem vnguentorum tuorum, ne paſsionum tormenta ſolus ſuſtineas dicendo. *Tortular calcauiſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Mori pro te diuitias exiſtimamus, quādo pro nobis ſummas delitias ſanguinem tuum fundere exiſtimaſti. Age Domine, & fac, excita nos, prouoca, & accende. Expeditiores curremus, geminæ

ſubſtantiæ

ſubſtantiæ gigas, ſi poſt te nos vinciendo vſque ad crucis vexillum facias euolare. Quod mei muneris erat præſtiti, nihil amplius poſſum. Succurre Sacerdotio, quod conculcatur, domui tuæ, quæ ſubuertitur, legibus tuis quæ violantur. Nondum verba finierat, cum valuas templi ingenti fragore concuti ſenſerunt, magis inde tanquam lituum ſonitu animati, ſe, & ipſos ad pugnã martyrij ineundã animabat Fratres, ad quam propẽſiores erãt, tanquam equi è naribus ignem ſpirantes, cum iam mane è ſacra menſa vbi celebrarunt diuina alimonia paſti, receſsiſſent. Quid moror? Ingreditur raptis foribus diabolicum illud ſatellitium, à Priore ſibi Dei templum tradi flagitant. Quid ille? nouo Achab (qui vineam Domini concupiſcens, illam delere, & extinguere putabat, vt ibi vilia olera ſereret terrenarum poſſeſsionum? (illud reſpondit, quod olim Ambroſius Auxentio, *Si de meis aliquid poſceretur, aut fundus, aut domus, aut agrum, aut argentum, id quod mei iuris eſſet, libenter offerem, templo Dei nihil poſſum decerpere, nec tradere, illud quod cuſtodiendum, non tradendum, acceperim.* & ſubdit. *Abſit vt ego Patrum meorum tradam hęreditatem.* & ſi Naboth *vineam non tradidit ſuam, nos trademus Eccleſiam CHRISTI?* Sed cum auri ſacra fames Chriſti gaza ſatiari nequi-

Libr 5. oratione de Baſilicis tradendis.

nequiret, gladium acuit; in singulos cohors furens insilijt. Quid illi? steterunt, orarunt, ceruices inflexerũt: cerneres milites illos armatos trepidare, tremere percussorum dexteram ictus iaciendo, pallere ora alieno periculo, cum victima illa innocentium non timeret suo. sic enituit in vna hostia duplex oblatio, religionis, & fidei, domum si quidem Dei non tradiderunt, & martyrij palmam obtinuerunt, crudeliter trucidati 1566.

F. Didacus Coria lib. 22, c. 11. Fernandez lib. 5, c. 43

In Belgio inter cęteros religiosos, qui aduersus grassantem hæresim fortiter dimicarũt, celebris habetur Magister Fr. Petrus Lupus, qui iam pridem Prouinciam Carmelitarum optimo regimine administrarat. Hic prædicatione, & eruditione admirabili bellum hæresibus inferebat. Sed prętensa reformata Religio, non rationibus, vel auctoritate maiorum causam agebat, sed armorum strepitu, ac si tanquam Pallas è Iouis cerebro armata processisset (vt fabulabatur Gentilitas) ciuitatẽ Malinas ingreditur, & priusquam loqui nosset, manus ferro instructas mouet, sulphurea instrumenta aptat, in athletam ictus dirigũt, victimam transfodiunt, præmittunt ad Regnum. Si hanc Orci Furiam, si hanc Bellonam

nam religionem reformatã Caluinicolę probant, ad exẽplar ethniciſmi ſatis probant effigiatum Martis Idolum pro vero Deo adorandum orbi propoſuiſſe.

Eadem Secta anno 1581. innumeris excurſionibus, plurimiſque tumultibus diſcurrens Bruxelenſem Ciuitatẽ tandem ingreſſa, Conuentum Carmelitarum adit, ſacram ſuppellectilem expilare feſtinat. Quod cum obtinere non daretur, templum impij profanarunt, vi extorquent omnia, religioſos, quos à fide catholica abducere non potuerũt, partim exulare coegerunt, partim verò duriſsimis cruciatibus, torti, digni cõfeſſores fidei habiti ſunt. Inter eos clarus habitus eſt Magiſter fr. Laurẽtius Cuperus Ptouincialis Belgij, qui ſeptuagenarius pro Chriſto exulare coactus, domũ non manufactam in cęleſti patria, qui ſe peregrinum putabat, in terris ſibi fabricauit. O fortes Apoſtolorum coadiutores. O ardentẽ, & inflammatam Eliæ prolem. O impauidos Nabothes pro vinea Eccleſiæ tuenda vſq; ad ſanguinem reſiſtentes. Idem Fernandez loco cit.

Longior eſſem, quam par eſt, & præter inſtitutum, ſi cunctos Prælatos, Doctores, qui eandem vineam tutati ſunt hoc tempore, vel-

lem percurrere. Satis sit recolere insignem illum Magistrum Parisiensem P. Fr. Thomam Baulxamis Regis Galliæ Concionatorem; P. fr. Io: Mariam Veratum, P. fr. Desiderũ Busset Doctorem Parisiensem (vt alios innumeros omittã, qui varia opuscula contra Nouatores ediderunt, eosdemq; cominus, & eminus expugnarunt) modernũ scriptorem Prm̃ frm̃ Anastasium Cocheletium de Polyandro Caluinista triumphantem, vt ex his strenuos alios merito nominãdo agnoscas. Quod vero alios sanctitate florentes facer ordo iste, his temporibus produxerit, operosius est recensere. Innumeri certe sunt in tam vastissimo ordine, qui perfectè sęculo renunciantes ad imitationem suorum Ducum in aluearibus, cellarum degentes, sanctis meditationibus, vt apes industrię suauissima mella componũt, quibus populum Christianum pariter refocillant, & ad instar veterum Prophetarum sanctis ieiunijs, & orationibus insistentes, & in proximi subsidio, & adiumẽto solertes, & prouidi, quantũ Deum diligant ex proximi amore metiuntur. Vnde sacris confessionibus, prædicationibus insistũt statum illum seruant, de quo loquens Innocentius Quartus dixit,

quod,

quod *Sibi, & proximis Deo propitio ad salutem proficere hilarescunt,* & vsque adhuc, vt olim dixit Clemens Quartus. *In agro Ecclesiæ hactenus vberes fructus produxit, & producit.* In bullario tomo primo.

Verú ea est humanæ vitæ conditio, quod cum naui comparetur, non semper aura secũda incedit, vel non efflante vento, vel vt in Oceani accidit interminabili nauigatione exremigum defatigatione. Bis mille ãnis decurrẽtibus ab institutione huius religionis à temporibus Eliæ vsq; ad Eugenium Quartum secũdo vento incesserat felix istud nauigium, sed iam ex asperitate victus, & indumenti, diuturniq; silentij defatigatum, pestilentia schismatibus, & alijs accidentibus ad paucos professores redactum, in his rigorem à sede Apostolica temperari obnixè postulauit, quæ tandem, & si vota non læderent, muniebant tamen. Quid ex dispensatione ista rationabili in re quantumuis leui? per centum quinquaginta annos humana fragilitate, feruor ille in pauciſsimis remissus est, defatigati nãq; nonnulli remiges ex longa, & diuturna nauigatione lentescere cœperunt, quousq; ille, qui infirma mundi eligit, vt fortia quæque confundat, B. V. Teresam de Iesu destinauit quæ ad pristinum feruorem, & austeritatem, tam illustrem

portionem gregis Christi reuocaret. Huius nauigij Ductrix diuina iussione effecta vela disciplinæ regularis extendit, illius afflatum expectãdo, *qui educit ventos de thesauris suis*, remiges cœlesti doctrina ad laborandum adhortando. Quid inde? vix diuini spiritus cœlestis aura vela ista perflauit, & subitò in similitudinem fulguris coruscantis, Angeli veloces in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis discalceati Carmelitæ, tanquam naues cœlestia poma portantes, non contenti inter domesticos parietes sibi solis incumbere, sed proximorum saluti intẽdere, ad portus volũtatis eorum applicuerunt, gentium scilicet, & infidelium conuersioni incũbendo. Egregiam ea in re nauarunt operam P. fr. Didacus de Sanctissimo Sacramento dictus, & P. fr. Didacus de Incarnatione, & P. fr. Franciscus de Iesu in Regno Cungi, prædicatione, & exemplo ad Christum innumeros populos adducentes. Hos imitati P. fr. Paulus Simon de Iesu Maria, P. fr. Thadeus de S. Eliseo, P. fr. Vincentius de S. Francisco, à Clemente Octauo in Persidem missi locupletes manipulos in agrum Dominicum importarunt. Mirum certè præsagium est ex hac

Ex relationibus synceris, & scriptoribus FF. Carmelitarum discalceatorum.

hac missione per lapidem prædicationis Apostolicæ (qui omnia regna confregit) iterum Persici regni reliquias, horum, & aliorum ministrorũ prędicatione in puluerem redigẽdas.

Ceteri vero, qui admissiones aptãtur studio, & diuinę contemplationi iugiter incumbunt, & vt alijs sint canales, sibi ipsis conchæ fiunt, fluẽta diuinorum charismatum suscipientes, quæ in alios effundant abũdè, & vt Dei ministros se exhibentes in frigore, & nuditate, in ieiunijs, & austeritate, in silentio, & taciturnitate, tanquam nouelli filij Prophetarũ studeant in Dei, & proximi dilectione fieri perfectissimi. Tunc enim facilius impetũ mundi vincere poterunt, & sæculum cruentũ domare, quando in omni re nihil exequi didicerint, nisi ordinatissimam Dei voluntatem. O verè mundi luminaria, cùm per istos iam cœperit illustrator animarum tenebricosis hominibus intelligentiæ suæ radium impartiri. O salterræ, per quos terrigenæ, & filij hominũ, saporis æternæ vitæ condimentum recipiũt, & restringunt carnis lasciuiam, & à putredine vitiorum seruantur illæsi. O lapides pretiosos, quos in fundamento cœlestis ædificij pariter posuit diuinus architectus, dum supra ipsorũ

prædi

prædicationem renaſcentis Eccleſiæ ſtructura locatur. O Ciues Sanctorum, & Dei domeſticos ſuperædificatos ſuper fundamẽtum Apoſtolorum, & Prophetarũ cum inſtituti veſtri, nedũ de Elia, & Eliſeo, ſed & de Andrea Apoſtolo, & Chriſti Domini diſcipulis meritò glorientur.

Philipp. Hieroſolimit. in Ioa. Ioſeph. Antioche.

Certè dicere poſſum religionẽ hanc, hoc tempore florentem illud aſſumere. Magna erit gloria domus huius pluſquam primæ, nam quod prius floruerit tãta ſanctitate, & doctrina, cultores illos eximios habuit viros robuſtiſsimos, Eliam, Eliſeum, Cyrillum, Albertũ: ſed quod modo tanta amœnitate refloreat mirabilius, cum per mulierem debilem, cœleſti virtute, & gratijs ſpiritualibus ſatis fortem, toto Orbe contradicente, tepiditate paucorum obſiſtente, ad antiquũ feruorẽ repararit. Immutaſti Domine ſigna, immutaſti mirabilia, noua bella eligendo, Amazonem iſtam cœleſtem armãdo, Thereſam Virginem, prius cor eius ſagittando charitate tua, vt ipſa quoque addiſceret ad amorem ſagittare, & ſagittę adhortationum eius acutæ, populos proſternerent, & trãsfigerent corda inimicorum regis. Non glorientur Iſraelitæ de partis antiquitùs victo-

victorijs: illustriores namq; hæ sunt ijs, q̃uę in die Madian reportatæ sunt, resonantibus n. tunc sacerdotalibus tubis, tunc muri Hiericho corruerunt; at nunc ostenso lumine spiritus, Sacerdotum horum nouissimorũ prædicatione, iugum oneris diaboli, & sceptrum exactoris eius superatum est. Et si de victorijs temporalibus voluerit gloriari, sancta ista religio non erit insipiens: si enim Imperij angustias, & discrimina præsentium temporũ mente reuoluas, tanta erat copia aduersantiũ bellatorum in Germania, vt pene nostri, vel fugam meditarentur, vel congressum dissimularent; quando à P. fr. Dominico viro eximię perfectionis, ad pugnandũ animati, & orationibus (vt creditur) vnus mille fugabat, paucis de innumeris victoriam reportantibus; eius virtute, cui non est difficile saluare in paucis, vt soli Deo ascribatur Victoria. Glorientur ijdem Israelitæ dicentes. *Templum Domini, Templum Domini.* immutata enim sunt mirabilia, vbi enim per Zorobabelem, & Esdram vnicum templum instauratũ est, magna refulgens gloria; per Virginem Teresiam ab anno 1562. viginti trium annorũ spatio, vsq; ad annũ 1606. duo, & quinquaginta Monasteria, viginti mo-

nialium, trigintaduo fratrum, ædificauit, vbi tanta abstinentia, & rigore obseruantiæ viuitur, vt illis cedant. Recabitarum Nazarenorum, Essænorum illustres domus. Glorietur Israel quod suo tempore plurimos peperit, innouata enim sunt signa, parturiente Virgine Teresa tot filios Christo sponso, quæ quando tot sanctitate, & perfectione insignes non peperisset, sat est peperisse primogenitum illum insignem virum fr. Ioannem à Cruce virum sanctitatis spectabilis, in cuius carne Christi Domini, Spiritus Sancti in specie columbæ, & Sanctissimæ Deiparæ imago impressa vsq; ad hæc tempora cernitur: & in dies parere non cessat strenuos bellatores, & in nouissimis diebus, vt auguror, pariet ardentissimos prædicatores, quo primo ipsorum parenti adiũgentur ad pugnandum cum Antichristo, & eius sectatoribus, sic tandem ad mare vnde exeunt flumina reuertentur. Ex relatione, & approbatione facta per Ioannem Vigil Quinnones, Episcopũ Valleoletanum, quæ de hoc Ioanne mirabilia narrantur addisces. Propero.

## CAPVT XXVII.

### De vinea florida, & frugifera Religionis

gionis de Mercede, seu Redemptionis Captiuorum, & Seruorum Beatissimæ Virginis MARIÆ.

VSQVE ad præsens PP. de Mercede religio odorem, & fragrantiam spirat, *descendunt enim mare in nauibus facientes operationes in aquis multis*, vbi enim ferrum pertransit animas tot miserabilium captiuorum, humiliantibus Barbaris in compedibus Iesu Christi sanguine redemptos, nec sit fermè, *qui compatiatur super contritione Ioseph*, ipsi descendũt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis, vt soluant & redimãt, *vinctos in mendicitate*, & ferro, eum imitantes, qui è miserabili captiuitate peccati, & mortis, genus redemit humanum. *Ascendunt vsque ad cælos* per contemplationem, *descendũt vsq; ad abyssos*, ex alienæ miseriæ cõpassione, vitam contemplatiuã cum actiua coniũgentes, totius hominis saluti cooperantes, vt animæ è manu diaboli prædicationibus, doctrina, confessionibus, corpora vero è manu Barbarorum dissoluantur. Vis videre operationes? 1834 Christiani multis ab hinc annis redempti recẽsentur. Verè illud propheticum adimpletur. Redemit Dominus populũ suum

Ex Maruio in Oceano Religionum pag. 356.

Hier. 21. & Es. 52. & 60. um, & liberauit eum & venient, & exultabunt in Monte Syon, & gaudebunt de bonis Domini. Lætare Ierusalem, & cognosce iam tẽpus visitationis tuæ. Gaudete, & laudate simul deserta Ierusalem, parauit Dominus brachium suum sanctum in oculis omnium gentium, & iterum leua in circuitu oculos tuos, & vide. Oẽs isti cõgregati sunt venerũt tibi. Hoc tibi auxilium missum de Sancto. In aquis multis operationes exercuerunt in nauigatione ad Indos nam deduxit eos quoq; Dominus in portum voluntatis eorum: amplissima enim Peruana Regna, hęc sacro sancta religio penetrauit cũ Franciscanis, Dominicanis, Patribus Iesuitis, dextras iungens societatis ad laborandum in vinea Domini anno 1550. Messis multa ex messoribus istis colligitur: tot enim sunt operarij, vt sex Prouinciæ huius religionis sacræ in America sint erectæ.

Ex S. Bernardo ad milites templi c. 3.

Fernandez lib. 1. hist. Eccl. c. 55.

Seruorum, vero religio hoc etiam sæculo palmites suos extendit cœlestis doctrinę vberes fructus edẽdo, verè terra bona, & optima quæ in fecundissimo eius sinu tot perfectos Patres continet, qui iugi deuotione immolãtes. non irrationalium pecudum carnes, sed verè hostias pacificas, redolentes fragrantia fraternæ dilectionis, humilitatis, subiectionis, voluntariæ paupertatis: viriliter decertantes,

tum

tum aduersus carnem, & sanginem tum contra aduersus rectores tenebrarum contra spiritalia nequitia in cœlestibus. Honorant innumeri certatim Dei templum sedulis, & sinceris obsequijs vitæ contemplatiuæ ocium sectantes, & proximorum non immemores prædicationibus confessionibus incumbunt, quorum opera etiam fertilis gleba, trigesimum sexagesimum, & centesimum fructum meritorũ producit. Vnde magna multitudine dulcedinis fructuum huius vineæ iucundissimæ satiati fideles, & opulentissime saginati memoriã abundantię suauitatis vbiq; eructant, de virorum istorum iustitia exultantes illud occinentes. *Et in seruis suis deprecabitur.* Psal. 134.

## CAPVT XXVIII.

### De florenti & fructificante vinea PP. Minimorum S. Frãcisci de Paula.

IN florẽtissima vero Vinea PP. Minimorum illustris illa vitis supereminet S. Franciscus de Paula, in sextodecimo sęculo pręsentis status Ecclesiæ, à Deo cœlesti agricola plantata, vt ne dum fructus ederet ad vitæ nostræ informationem, sed & folia quoq; eius essent ad sa-

nitatem gentium. Tepefacta enim temperie christianarum exercitationum, tam felix planta virtutum prorupit in gemmas, & ex ipsis sarmentorum articulis tot bonorum operum fructus emisit, vt quando nullum miraculum perpetrasset, sola vita eius esset vita miraculorum. In carne enim gradiens spiritu incedebat, communemq; cum alijs in terra vitã degens, sanctorum Angelorum regionem obtinuisse videbatur, cum eos in abstinẽtia, & virginitate tantopere æmularetur. Nunc vero cum nedum fructus sanctitatis degustemus, sed & pampinos, sertaq; pendentia velut quędam spetiosæ vineæ monilia, gratias nempè gratis datas, & inter eas miraculorum patrandorum charismata videamus; non solum carpimus vuas, aureo purpureo colore nitentes; sed & capita nostra ad defensionem ab æstu, & pluuia huius vitæ calamitatum, frondibus gratiæ spiritualis obumbramus. Sic vtrumq; vitis ista felix germinauit, vnum quo vesceremur, aliud quo velut refrigerante defenderemur, vt illud decantaremus. *Sub vmbra illius, quem desideraueră sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 2.

Quid vero enumerem varietatem palmitum sanctorum virorum videlicet, qui ex illa

vitæ

vitæ prodiêre? quàm diuersus in singulis, & pulcher ornatus, quàm difformis, sed suauis liquor in omnibus. Albi coloris vino torcularia hic redundant, vbi confessorum mentâ tanquã succus exprimuntur: sanguinis mero cella sponsi vinaria, ex huius vineæ botris repletur, qui pro bono fidei eiusdemq; confessionis splendore pedibus proculcari, & premi passi sunt. Quàm bene Minimus eructare potest, quod & sponsa in Canticis *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*, vel, vt alij vertunt, *Vexillum eius in me amor*; non solum quia sub illius vexillo inclyto in quo pro stẽmate cum meo fundatore, claritas inscripta cernitur, sed quia ob eandem charitatem occinunt. *Quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.* Martyres ergo martyrij prærogatiua eminentes primo recẽseamus. Occurrunt hinc duo Martyres illustres, fr. Abundancius, & fr. Bernardus Buel huius sancti Instituti in Hispania fundatores, à Mauris infidelibus occisi, quorum corpora anno circiter 1613. post centum, & septem annos à martyrio, in campo integra cum proprijs indumentis signisq; martyrij, ab agricola diuina reuelatione admonito, & Episcopo C[illegible] assistente solemni processione reper-

Cant. 2.

Ex Chron. Petri Iayme in Vita D. Fr. Ambrosij de Iesu, pag. 193.

Ex iconibus illust-

virorum impress. Romæ 163.

ta sunt, & in Parochiali Ecclesia solemniter tumulata, vbi signis quoq; coruscãt. Eadem laurea redimiti procedunt fr. Andreas de Mora, & Didacus de Verdegio Hispani à Mauris in odium fidei in regno Granatensi interẽpti.

Fol. 355. S. 367.

In eodẽ Regno Granatensi septem alios pro fide occisos narrat Iayme in Chronico in vita F. Simonis Garcia. Similiter emicat fr. Petrus Cuiellart Hispanus, qui ob cõfessionem fidei enecatus, victor triumphauit, triumphalem agonem, Christi Dñi, scilicet passionem imitatus; & fr. Ioannes Vegel lapidibus obrutus coronam meruit, immarcescibilem de lapide pretioso, Protomartyris vestigia sectatus.

Sed & illustre martyrium consumarunt fr. Archangelus de Longobardo cum socijs, quorum passio glorioſa in generali Capitulo Grationopolitano anno 1529. recensetur. fr. Eustachius Dabril Gallus martyrij quoq; palma laureatus incedit. Eo vero tempore quo quinti Euangelij prȩcones Germaniã dementarunt, & illud non auctoritate, vel legitima missione, sed vi, armis, seditionibus, cȩdes, incendia, vastitates meditando, stabilire putarunt, omnem operã industriam in eo collocãtes, vt cum armatis ministris pompaticè incedentes

dentes, ne dum bona, fortunas, personas catholicorũ inuaderent, sed, & in ipsa sacra cœnobiorum claustra, & templa debacharentur, eaquè funditus demolirẽtur, insignia illa tria cœnobia in Austria (fundata per eos insignes Patres, quos ad petitionem Maximiliani, tũc Romanorum Regis, postea Imperatoris eo nomine primi, S. P. Franciscus destinârat,) incensa sunt, fratribus partim in fugam versis, partim immaniter vexatis, inter quos P. Prouinciales, fr. Dionysius Baruita, & alij in Gallias secedentes tàm efferatæ crudelitatis testes extiterũt. Quot verò in ea Prouincia Bellona furente, pro Christo occidi meruerunt, certo numero definiri non adhuc potuit. Supra numerũ centenariũ à Lutheranis Hæreticis pro defensione fidei catholicæ vltimo supplicio interemptos, fida dignorum Patrum relatio testata est, vt in chronico Minimorum habetur. In Chron. Gener. Minim. c. 6. §. 6. c. 15. §. 5.

In Gallia vero, infernali Alecto Hugonistarum parente furorem Martium renouãte, fr. Nicolaus Fichetus Gallus pro confessione fidei catholicæ martyrium ab Hæreticis passus est in partibus Tholosanis. Et noua Iezabele sanguinem sanctorum sitiente, Elizabe-

tha Angliæ intrusa Regina, fr. alter Anglus Londini mori potius passus esse refertur sæuissimam mortem sustinens, quàm paternam prodere hæreditatẽ. P. fr. Ioseph Torres eò quòd Missæ sacrificium constanter confessus est à Luthericolis occisus, migrauit ad Christum.

Petrus Iaymeia vita P. F. Simonis Garzę c. 6. §. 41.

Hos inuictos Martyres Confessorum turba subsequitur splendore fidei coruscans, charitate flagrãs, iustitiæ pulchritudine, vbertate misericordiæ insignis, redundantiam vitis fructiferæ copiosè demõstrans. Occurrit in primis Deo deuotus P. fr. Franciscus Binet, olim Monasterij Mamertini Ordinis S. Benedicti Prior, qui postea diuino instinctu Minimorũ habitum è manibus S. Francisci suscipiens, eius socius, & confessarius, atq; in moderanda religione cõsiliarius, eidemq; in Generalatu ter succedens: paupertatis, abstinentię, obedientię cultor eximius extitit. Hic pro canonizatione S. Francisci diligentissimè laborauit, eundẽq; maxima sui animi lætitia inter sanctos relatum vidit, demum plenus bonis operibus in monasterio Sanctissimæ Trinitatis Romæ feliciter in Domino obdormiuit anno 1524.

Fr. Paulus de Reandace à Paterno in Prouincia Calabriæ, S. Francisci socius tanti parẽ-

tis

tis virtutum imitator, & hæres, miraculorum gloria conſpicuus in eodem confeſſorum cuneo mirificè ſplendet, & florentia merita virtutum, & fructuum vbertas meritorum, ſc. copiam, fœcunditatem vitis humilis, ſed ad cælos palmites extendentis abundè demonſtrat. Tanta fuit huius viri ſanctitatis, & miraculorum multitudo, vt de ijs informationes iuridicæ pro ſacra Apotheoſi formarentur, at dum quoq; eo tempore proceſſus de vita, & miraculis S. Franciſci formarētur, ne dilationem pateretur tanti Fundatoris canonizatio, neuè exturbaretur, & in aliud tēpus differretur diuina permiſsione proceſſus fr. Pauli peractus eſt. Illud certè memorādum, quòd cùm Pater Binet Generalis poſt indicta ieiunia, & ſacras preces religioſa proceſsione præeuntibus Fratribus, accēſiſq; luminibus ſepulchrum fr. Pauli adijſſet, illudque aperiri iuſsiſſet, corpus integrum, brachijs in modum crucis complicatis rēpertum eſt, vnde deuotione accenſus, brachium vnum Generalis è corpore præcidere tentauit, vt tanquam pretioſas reliquias aſportaret, ſed quod erat emortuum corpus reſedit, & his verbis generalem alloquutus eſt, *Pater Generalis quid agis? Dimitte me.* Qua vo-

ce territus voluntatem Dei intellexit, ne reliquiæ sancti illius aliò asportarentur.

Fr. Bernardinus de Cropalata S. Franciscià confessionibus, vsq; ad obitum propter innocentiã, & vitæ simplicitatem ab eodem valde dilectus, gratã speciem exhibet, vinũq; virtutum optimum exhibet, vt præclaro calice inebrientur carissimi serui è vino quod germinat Virgines. Iungitur his pariter fr. Nicolaus de S. Lucido S. Francisci super pallium tretum Siciliæ transeuntis comes, qui præclarum istud miraculum testatꝰ est, & videre meruit, quòd si *mirabiles elationes maris, mirabilis sit in altis Dominus.* de quo pariter scriptum est. *in mari viæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.* Nectitur his quoq; fr. Antonius Bonus de Flumine frigido, virtutum decore insignis, è primis socijs S. Francisci, cum fr. Archangelo de Longobardo socio similiter eiusdem Sancti, qui zelo pœnitentiæ, & puritate insignis obtulit se Deo hostiam illibatam. Radiat hîc Frãciscus Marianus Cosentinus, cui oranti Spiritus S. in Columbæ specie sæpius apparuit. Ibi Vitus de Monte forti Panormitanus virginitatis dono, & spiritu prophetico conspicuus fulgorem emittit.

Hic

Hic fr. Ioannes de Milasso, fr. Sanctes Clericus, Panormitanus virginitati, & austeritati, & alijs virtutibus supra stellarum lucem rutilantes merita sua producunt, quæ sunt dona illius, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Et omnes hi tanquam botri feracis vitis dulcem nobis exprimunt liquorem.

Ad similitudinem Vitis alij pullulant felices palmites eodem vitali irrigati charismatum succo; nam, & fr. Antonius de Croculo Italus, vitæ Quadragesimalis etiam in infirmitate custos eximius contemplatione ardēs; inuenit quem diligebat anima eius. & fr. alter Antonius Delozrates Hispanus à Deo pœnitentiæ, & carnis mortificationi intendit, vt ne dum miraculis, sed & diuinis visionibus meruerit illustrari. Et fr. Hieronymus de Maluiso eadem vitæ austeritate, & abstinentia præcipuus, ea donatus est gratia, vt sicut viuens corpus humilians mortalitatis miserias spirās perdidit, emortum incorruptibilitate veltitū, fragrantiam redolens adipisceretur. Similiter eundem vitæ rigorem sectantes fr. Franciscus Genouensis laicus Beatissimę Virginis cultor eximius, & P. fr. Iacobus Ruet Gallus; sicut hic

hic innocentia vitæ fuit conſpicuus; ita ille auſteritatis pœnitentię virtute inſignis, meruit pariter, vt in extremo eius vitæ die 24. horarum ſpatio lampas ardens ſine oleo reluceret. Hi ergo omnes fœcundi palmites viriditatem ſanctæ conuerſationis ſeruantes, fructum dederunt tempore ſuo, vt nec folium effluxerit, quando etiam, & vmbra ad ſedendum per contemplationem, tam illuſtris vitis blandè, & ſuauiter inuitet.

Franciſc. Diac. in Hiſt. prouinc. Arag. c. 75.

Sed & Pater Fr. Ambroſius de Ieſu virtutum ſui parentis viuum exemplar extitit. Hic fuit confeſſarius B. Ludouici Betrandi, quem à pueritia ſanctis moribꝰ informauit; cui prophetico ſpiritu prædixit religioſum fore in familia Sancti Dominici, non de familia Minimorum (ad hanc enim adſcribi ſummopere exoptabat) & hanc eſſe Dei voluntatem. Prędicationis dono mirificè claruit, vnde ex profundo iniquitatum inſignes peccatores ad vitales auras adduxit. Tanto vero feruore in prædicationibus ardebat, vt publice pro ſuis, & populi peccatis in ſuggeſtu ſe flagellaret. Erat magna velut mare contritio eius, vt fletum cohibere non poſſet, vnde, & dicere ſolebat, inſigne fore Dei beneficium, ſi eo contriti-

tritionis ſpiritu dotaretur in morte, quo afficiebatur, dum prædicationi incumberet in vita. Interdum ita diuinæ bonitatis cõſiderationis dulcedine rapiebatur, vt in ecſtaſi poſitus, nec eorum puncturas, qui abſtractionem illam experiri acubus volebãt, vllo modo ſentiret. Diuino inſtinctu admonitus ſuam mortem in ſugeſtu fore, prout ipſe obnixis precibus impetrarat, prædixit. Die ergo Sanctiſsimæ Trinitatis, cum prædicationem feruentiſſimam haberet, in templo Monialium Minimarum; vocem ad recedendum à vita inuitantem, audiuit. Qui ille? *experta parumper Domine, veniam.* Interim populum ad virtutes, & pœnitentiam in primis hortabatur, ſed iterum voce ad eum delapſa, ad Crucifixum cõuerſus magna cordis contritione, hæc Dei auribus populo eum audiente, inſonabat. Trahe me poſt te, nulla parendi mora eſt: quandocunq; è quocunq; vis ducit, ſequar, trahe me, vt amem te: curratur vita mea in tui amoris amplexus. Age Domine, & fac, excita me, & prouoca, accende, & corripe, flagra, dulceſce, diligam, iam expeditior curram, iam dico, ecce venio, in miſericordes tuas manus commendo ſpiritum meum. His dictis ſpiritum ad cæleſtia ſuauiter

ter emisit Ambrosius, corpore erecto, minime corruente. Hoc modo raptus Ambrosius, supra astra locatur, qui dum viueret in carne mortali, ignitus Dei charitate, dum violenter detineretur in corpore, ad propriam sphęram anhelabat. Venerabilem hunc virum, eximiũ prædicatorem appellat Reuerendiss. D. Fr. Ioannes Lopez Episcopus Monopolitanus.

4. p lib. 3. c. 8. Hist. Domin.

Humilitatem quoq; sui proparentis imitatus est Pater Fr. Gaspar Bonus, verè Israelita, in quo dolus non erat, cuius virtutes, quando aliquis enarrare voluisset illud ex ore eius responsum reportabat. *Ego sum nomine Bonus, verbo autem, opere, & cognitione malus, & dignus poenis Inferni.* tot autem fuit charismatibus, & virtutum donis repletus, vt quoq; ecstases, spiritum prophetiæ, & miraculorum gloriam, & claritatem externam super ipsum interdum altissimus, qui humiles respicit, impartiri dignatus sit. Quem ne reuelationum magnitudo extolleret, variæ infirmitates, & Dæmonis tentationes vexabant, patientiæ robustæ exercendæ materiam tribuentes, quam virtutem specialiter in præfecturis (fuit enim Prouincialis Valentinæ Prouinciæ, & multorum Corrector Conuentuum) mirificè ostendit.

Petrus Iayme in vita Fr. Gasparis Boni.

Tandem

Tandem sancto fine quieuit 24. Iulij 1604. cuius cadauer suauem odorem spirauit, & tres dies ad satisfaciendum populorum deuotioni, insepultum iacuit: miraculis Deo sanctitatem huius viri eximij contestante, quæ Ioannes Archiepiscopus Valentinus de Ribera authentica informatione suscipi iussit, eius præsentia funus cohonestando.

Clari in sanctitate quoque extiterunt Pater fr. Petrus de Assumptione Maioricensis, feruentis prædicationis, & lachrimarum gratia dotatus, quas ex innumeræ multitudinis concursu, quę ad eum concionantem, cõcurrere solebat, oculis eliciebat; miræ etiam abstinentię & contemplationis vir: Et Fr. Simon de Palatio Prouinciæ quoq; Maioricensis, qui præter virtutum opera illustria, claruit curationum gratia. Idē in vita F. Gaspar. Bon. c. 46

Quis omnes numeret? insignem illum P. fr. Antonium de los Reyes, & Bernardum Cabañes non recensere, piaculum est. Quorũ primus genere illustris, sed moribus, & prædicatione illustrior, tanquam alter Antonius inimico generis humani bellum perpetuum indixerat, vnde & visibiliter cædi, & flagellari diuinitus ab eo, permissum est, vt spiritus eius Idē in vita F. Ambrosij de Iesu c. 2. & 56 & in vita F. Ioan. de S. Maria c. 1.

inuictus probaretur. Alter religiosissimę conuersationis: qui & morti proximus inuictum ab oratione spiritum non relaxans, postquam cœlestibus Sacramentis munitus esset, flexis genibus admodum orantis, cum sancto Rosario in manibus repertus est animam creatori reddidisse.

Ex Iconibus Beat. Ord. S. Frãcisci de Paula.

Silentio non est prętermittendus P. fr. Didacus Barbutus Granatensis, vir insignis sanctitatis, ex cuius sepulcro flores liliorũ inscripta nomina Iesus, & Mariæ per triduũ expressérũt. Fr. Hieronymus de Maluito Italus, vitæ austeritate, & abstinentię præcipuus, cuius corpus odorẽ aromaticum redolere visum est.

Idem in alus vita.

Sanctitate insigni enituit P. fr. Ioannes de S. Maria, vir quem Dominus miraculis eximiis illustrare dignatus est, cuius quoq; corpus à terra eleuatum, caput lumine circumlustrãte in oratione deprehensum est, eiusdemq; funus populorum multitudine cohonestatum est, quod in frustra ex deuotione conscissum esset, ni Fratrum Minorũ modestia obstitisset. Eum tãquam pluuiæ aduocatum Ciuitas Xerez Fronteræ sæpe experta est in suis necessitatibus. Vnde ad petitionem Capituli Canonicorum, Cardinalis, & Archiepiscopus Hispalensis Ninnus de Gueuara processum de

vita, morte, & miraculis instituti annuit.

Prodit etiam in apertum P.fr. Simon Garcia, qui ab infantia inter cæteras virtutes, erga B. Virginem deuotionem cum lacte ebibit, vt ne dies vlla præterierit eius vitæ, quin eam Rosarij psalterio pijs affectibus deprecatus sit. Eadem virtutes mirificè excoluit religionem ingressus, patientiam inuictam, animi constantiam mirificam, abstinentiã incomparabilem ijsdem adiungens: In humilitate magnus, in paupertate diues, in obedientia loquês victorias, in puritate Angelus. Spiritu prophetico suam mortem prædixit, virginitatis lauream cœlo inferens, & baptismalem innocentiam 1605. Sed & qui minima eligit, vt fortia quæque confundat, elegit fr. Andream de Castro Maris laicum tantæ simplicitatis, & sanctitatis, vt non mirũ si placita esset anima eius Altissimo, de quo scriptum est [Et cum simplicibus sermocinatio eius] quem Dominus mi- Prou. 3.
ris signis illustrare dignatus est. Huic morti appropinquãti cella resplendere visa est, ipsũque tales voces emittere fideliter testatum est [Ecce iam ad te venio] quibus verbis iampridem Sacramentis omnibus deuotè susceptis, euolauit in cœlum: cuius funus populorum

multitudine confluente ad reliquias præcidẽdas cohoneſtatum eſt. Cadauer præterquam quod ſuauiter olere obſeruatum ſit, etiã nunc integrum perſeuerat, obijt anno 1606. Dies me deficeret, ſi enarrarem virtutes, & ſanctitatem Gaſparis de Foſſo Archiep. Regienſ. P. fr. Bartholomæi de Paterno, P. fr. Matthæi de Solico, P. fr. Bartholomæi de Martinez P. fr. Antonij, & fr. Ioannis de Neapoli oblati, P. fr. Bernardi Bonelli Epiſcopi Gerundenſis Fr. Io: à Neapoli clerici, P. fr. Alphonſi de Villa maiori, & aliorum illuſtrium, quę innouiſsimo Chronico exactè recenſentur. Ad Virgines pergo.

In Sanctarum Virginum agmine primatũ tenent, Soror Hieronyma Paterno Neptis S. Franciſci de Paula, & deuota Virgo Cæcilia Panormitana eam ſubſequendo, quæ à S. Frãciſco de Paula ad ordinem diuina viſione vocata, ab eodem Sancto à plaga inſanabili eſt curata; nec non Virgo Soror Maria Montenigro, & Soror Maria de Arce Virgo, & ſoror Agnes de Caſſata Virgo, & Soror Maria Meſſana Virgo, & Soror Claudia Panormitana virgo. Has ſequitur Soror Gratia Valentina in vita, & in morte miraculis clara, quæ cum

alijs

aliis Virginibus eiusdem instituti, sequuntur Agnum quocũq; ierit. Sic Martyres, Confessores, & Virgines peperit Altissimo hæc sancta Religio, vt nequaquam minima sit, & si minimam se humiliter fateatur.

Pastores, atq; Doctores fœcundos palmites quoq; produxit. Inter ceteros D. fr. Didacum de Yttella, & D. P. fr. Bernardinum Episcopum Gerund. fr. Gasparem Fossum Archiepiscopum Regiensem, & alios. Doctores vero innumeros, quis edisseret? pauci è multis recensentur, qui typis suas lucubrationes mãdarunt, vt P. fr. Martinus Codonnat; P. fr. Alphonsus de Vega, P. fr. Ioãnes Thyernen. P. fr. Petrus Amoraga, P. fr. Petrus Ruijz. P. fr. Gaspar Passarellus. P. Franciscus Tamaius. P. Generalis Mena, innumeros reticeo.

Ex Siluestro Marulio Oceani Relig. lib. 5. c. 5. pag 365.

Felix ergo vitis Frãciscanæ religionis Minimorum, cuius succus tot fructus produxit, & botros, cuius etiam pampinis ecclesia non exiguo munitur subsidio, & a solis ardore persecutionum defenditur. An non grandis fuit defensio cum Ferdinando Hispaniarum Regi, per P. fr. Abundantium, P. fr. Bernardum Buil, Fratres Minimos, victoria repromissa est, si aduersus Mauros arma assumerent?

quod & factum est. Cum enim Malacham Granatæ obsiderent, absque spe recuperationis, audito nihilominus per dictos religiosos nuncio, adeo roboratus est, vt ipsa nocte fugientibus Mauris libertas Vrbi, & regno redderetur. In cuius rei memoriam celebre Monasterium ab ipso Rege ordini extructũ, quod deinceps de victoria nominari voluit, & fratres vsq; in hanc diem de Victoria nuncupantur: & meritò nam Populus quoq; quibus vitis agglutinatur coronis arbor est vmbrosa victricib⁹, quibus, & victorũ capita coronãtur.

Felix vinea, quæ adhuc seruat viriditatẽ iuuentutis suæ, vitoremq; à primordio receptum conseruans, ita fructum habens in tempore suo præparatum, vt folium eius non defluat, & omnia quæcunq; facit, prosperẽtur.

## CAPVT XXIX.

### De florenti, & fructificante vinea Clericorum Regularium, qui & Theatini dicuntur.

CLERICORM vero Regularium (qui & Theatini nuncupantur) vinea odorem

rem suum, ex quo tẽpore plantata est, vsq; ad hanc diem spirat, & adeo vberes produxit, atq; producit fructus, vt ex ijs terræ feracitas cognosci possit; cum non sicut cetera campestria, quæ irriguis fontibus tanquam auxiliarijs copijs ab ipsa terra surgentibus irrigetur, sed de cœlo pluuias expectet, nec .n. illis victus procuratio, atq; quæsitio permittitur, sed in altum oculos attolere mandat: ille enim idem Deus, qui escã dat pullis coruorum inuocantibus eum, & omne animal implet benedictione, qui Abacuc ad pascendũ Danielem, & mulierẽ Sareptanã, & coruũ ad cibandũ Eliã destinauit, illemet quotidie timoratos fideles excitat, vt seruis suis cibaria subministrent, sic enim in regulis dicitur constitutionum, [nec; per nos, neq; per alios petantur à secularibus eleemosynę, sed tota spes nostra in Christi Domini verbis posita sit, qui ait, primum quærite regnum Dei] Ab hac altissima paupertate totius perfectionis radice, fecundæ vites huius enim sancti instituti viri, tanquam aduenas, & peregrinos ex temporalium indigentia se existiment, & iugiter eorũ conuersatio in cœlis est. Bonorum operum quoque, & spiritualium fructuum fœcunda pariter germinatio procedit,

P. 2. c. 2.

procedit, vt pulchritudo agri, hortorum plã-taria, proceræ arbores plantis huius vineæ lõge inferiores appareant. si enim inter cana niuium, pruinas, frigora, viriditatem suam arua conseruant, & cum ipsa tecta sint gelu, partus sui tãmen exiguam speciem viriditatis obtexunt; vineæ tamen huius fœcundæ vites, quãuis paupertate, mortificationibus, vigilijs, ieiunijs, laboribus tanquã gelu amiciantur (vt faciem frigoris huius, sustinere viribus naturæ nullus possit) tamen illa adeo fęcundatur, cęlesti virtute eius, qui dat niuem sicut lanã, & mittit crystallum suã, sicut buccellas, vt multiplicentur incrementa frugum iustitiæ, & recondantur in horreis sempiternis. Seruat indumentum suum semper olea, vel pinus, sed tamen folia sua sæpè commutat, nec ea quasi diuturna, sed quasi succedanea prætendunt suæ arboris pulchritudine perpetui integritate vestitus, vice muneris obũbrantes: non secus cum successione morientibus, viuidus itidem spiritus perseuerat, eadem species, idem ordo regulæ seruatur, & in orbem redit fructuum gratia copiosa. Sũt arbores in quibus pariter iuuentus viret, sicut est palma, quæ conseruatur iugiter, absq; foliorum immutatione;

one; non dissimiliter iuuentus huius ordinis sancti, absq; eo quod folium sacrarum legum à vento negligentiæ, vel socordiæ in dissuetudinem effluxerit perseuerat. Sed in vitę sistendo apparet ex ipsis sarmentorum articulis fructus emittere, de quibus oriens vua formatur, paulatimq; augescēs immaturi partus retinet acerbitatem, nec potest nisi matura iam, & cocta dulcescere. At in vinea ista flores fructus parturiunt, & vel ipsę emissiones, Paradisus. Et quemadmodū ad verbum Dñi festinarunt campi non cōmissam sibi frugem edere, ignorata horti olerum genera, florum miracula germinare, ripæ fluminū se vestire mirtetis properauerunt, arbores cito surgere, cito se flores induere, nec tam flores erumpere, quā fructus ex arbore, nulla præcedente immaturitate, pendere. Sic in plantatione huius vineæ amænitas in foljs, maturitas in fructibus extemplo processit, quia enim expectabat Dominus vuas in clero, & passim faciebat labrusças, nec maturos reddebat fructus (vnde Hæreticorum dentes, qui ex contractione vuæ acerbæ obstupuerant, soliti, & ipsi diligere vinacia vuarum, imperfectorum clericorū vitia carpendo, non maturitatem bonorū ad-

mitando) voluit Dominus, electos ad sortem Dñi Clericos regulares maturos, & perfectos in exemplũ reformandi cleri proponere. Vnde & prouidit proceras vites cito surgere, cito se flores induere, fructus maturos producere, vt foliorũ Ecclesiæ gutturi dulces essent, & in tanto hæresum ardore ad vmbrã effugerent, ad folia exhortationum, concionum, & aliarum piarum exercitationum, vt canerent [sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo ].

Precipuæ ergo vites è quibus fœcũdi palmites processerũt, sunt Io. Petrus Carafa, qui postea ad Pontificatum summũ euectus, Paulus Quartus est nũcupatus, B. Caietanus Tienæus, Paulus consiliarus, Bonifacius à Colle.

Cum igitur Aquilonares partes Hæreseos Lutherica flamma speciosa deserti comburet, & iam in discrimen res adduci poterat, vt scintilla ad alias partes catholicas trãsuolaret, iamq; praui in dies pullularent mores, quibus populi inficiebantur, multique, quorum interat, vtpote adsciti in sortem domini, qui imperitę plebi pręire debuissent, potius sua tepiditate, vel etiam malo exemplo ad vitia inflectebant: in eam sententiã iuerunt, vt primæ-

uum

tium, vt Apostolicum institutũ Deo ducẽ rursus instauraretur, laborãti Ecclesiæ opem ferrent, primitiuæ Ecclesiæ feruore, oratione, sacramentorumq; frequentia, & loco eorũ Clericorum, quos vel insciția, vel auaritia, vel improbitas corrupisset, alij subrogarentur, qui litteris, pauperrate, bonitate toti Christiano orbi illucescerent. Sic probante Apostolico throno in augustissima æde Vaticana in altari Sancti Andreæ, sacrificio expleto, & cœlesti alimonia refecti quatuor illi huius gregis duces, bini ad aram S. Petri procedentes vota Altissimo labijs distinxerunt solemnia, Ioannem Petrum in Prępositum eligentes. His adiuncti Bernardinus Scottus, Hieronymus Cõsiliarius. Andreas Vrsinus, Thomas Guerrerius, Marcus Pasqualinus, Matthæus Seraualensis, & Petrus laicus Perusinus Sacratum Apostolorum numerum implentes, vt Apostolica vestigia imitarentur, quod & opere præstiterunt: in psalmis, hymnis Deo psallentes, & orantes, & pernoctantes in oratione Dei, die docentes turbas, instituendo, & formando hominum mores corruptissimos.

Sed mirum fuit, quod in primo flore non sit læsus botrus huius vineæ; grassante enim in

Vrbe Romæ Cæſareo exercitu, ima ſummis miſcente audace militum manu, nec valentes hi duodeni Patres hortationibus etiam cum proprij capitis periculo furentes turbas reprimere, nec publicum extinguere incendium, in Pincianam domum ſe cõferunt, oculos ad lachrymas pro Dei ira extinguenda, venas ad ſanguinem pro fidei conteſtatione parantes. Vix canes venatici prædam olfecerunt, & duobus ſtimulis agitati, auaritiæ, & odij, domum circumeunt, & inueniunt, & clauſis columbis intus, foris ſtrepunt accipitres, certantes ſinguli, quinam primus prædam inuadat. Quid illa exigua familia fugere inualida, ab inſidiatoribus obſtricta? animum ad virtutem parat; tam religioſa, vt mortem non timeret, tam obfirmata, vt expectaret, & ad ſacrã ædiculam confugientes, Deum auxiliarem interpellat. Chriſte, dicebat, qui Danielem à ferocium leonum ore liberaſti, potes etiam domare belluinos horum hominum mores: tua virtute rotauit ignis in camino Babylonis, & pueros illæſos ſeruauit: Suſanna iam ad ſupplicium genu fixerat, & de impoſturis triũphauit. Audax illa manus, quæ templum tuum temerare propoſuerat, pœnas meritas luit, poteſt tua impedi-

pedire tam nefarium sacrilegium, quæ non passa est furtum. At illi omnia diligenter perscrutantes, & nihil inuenientes apud eos qui omnia habebant, sola pauperie (de qua scriptum est, pauperies quasi vir armatus) prædones impauide sunt effugati. Verum Saxones admoniti à milite (quem Tienæus antequã facultates pro Christo abdicasset inter gregarios famulos habebat harum quondam locuplete) in Pinceno delitescere, nulla mora domum rursus aggrediuntur, latibula perscrutãtur, auri sacra fame extimulati, à Tienæo extorquere aurum non tãtum minis, quam tormentis conãtur; compressis artubus inter arcarum labra, totoq; corpore funibus insublime sublato. Quid Christi pauper, sed satis gratia cęlesti diues quondã diuitijs affluẽs, at fortunis omnibus abiectis, religiosam pauperiẽ amplexus propter Christum? Nudus agit nudum sequor, quartus iam annus est, quod me hostiam Christo solemni voto consecraui. si vos stipendijs Cæsari militatis ego pauperie, & nuditate Christo milito, habens cum paupertate bonam militiam obedientiæ, & castitatis, quæ stipendijs militat sempiternis. Loricam iustitiæ, quæ spirituali munimine vnde-

quaq; me cingat, ſcutum fidei, quo vulnera pellam, gladium ſpiritus, quo Chriſti aduerſarios propulſem aſſumpſi. Ergo ſi diuitias quæritis, quę habeo, hæc do, immarceſcibiliũ virtutum actus; ſi ſanguis expoſcitur, fideiuſſorem non quęro, habeo vnde diſſoluam, non mortis vadem eligo, ſed executorem, patrimonio non poſſum vexationem iſtã redimere, ſed cenſum habeo membrorum meorum, quę pro religione expono, vnde fęnore felici ditari potes, nam non eſt alia martyrum vindicta, niſi carnificum conuerſio: moriar ergo innocens, ne moriar nocens, vt qui mortem machinatur, è nocenti innocens fiat. Quod ſi præripis mortem, nihil ages, quã quod me priuas præmio, te ipſum beneficio. Hæc & ſimilia dicta, animum inuictum ad martyriũ in Tienæo euidenter oſtendebãt. Alij ſimiliter flexa ceruice, vt ſacrę victimæ prædonum mactationem expectabant impauidi, vnam ſpirantes, ſperanteſq; beatorũ ſedem. Sed impij ſatellites probro, eos afficere maluerũt, quã gladio animaduertere. Reuinctis igitur poſt tergum manibus, vt rabiem exſaturarent, diris cõuiciis inurbaniter impetitos, & inſuper variè cruciatos, in carcerem detrudunt, digni habiti

pro

pro nomine Iesu contumeliam pati: è quo tandem incolumes Dei gratia egressi sunt, & per medias vrbis flãmas, medioſq; armatos hostes, Deus ipse quasi nube tectos ad Ostia Tyberina produxit incolumes. Quis hos martyrij merito priuabit? audi Chrysostomum [Martyriũ fratres non euentu tatũ æstimatur, sed etiã proposito. Non cum Martyr decollatur, tum fit Martyr, sed exquo propositum ostendit profitendi, Martyr est, etiam si non patiatur quæ Martyres solent] similis causa in irruptione Gothica, martyres fecit appellare, quos propter paupertatem torměta passos historiæ testãtur [Eos agit Augustinus, qui olim in irruptione Gothica sub Alarico Rege etiã non habentes, quid proderent, dum habere credebãtur torti sunt, profecto inter illa tormenta paupertatem confitentes, Christũ fuisse confessos. Quapropter etsi non meruerũt ab hostibus cædi, non potuisse tamen sanctæ paupertatis confessores, sine cœlesti mercede torqueri]. Sed ne tam sancta horum illustriũ virorũ conuersatio sub modio occultetur, tãquã lucernæ lucẽtes in caliginoso loco, reponãtur super candelabrũ, vt luceant omnibus qui in amplissima Ecclesiæ domo cõmorãtur.

In ps. 55

1. de Ciu c. 10

Primus

Primus ergo religionis Patrum Theatinorum (qui Clerici Regulares S. Sylueſtri, alias dici ſolent) Fundator & Princeps, imo Primus Cleri reformator, vt dicit Sebaſtianus Veronius, ſeu primus Apoſtolici ordinis Reſtitutor, vt dicit Ricordatus, & primus Presbyter Regularis, quem tanquam Ducem Regularis Cleri, inſecuti ſunt alij ordinis Regularium Clericorum Societatis Ieſu, Bernabitæ, Sommaſchi, Miniſtri infirmorũ, Clerici Minores. Hic ergo Io. Petrus ex illuſtriſsima, antiquiſsima, Heroum inſignũ ſplendore, ac opibus, titulis, ac prærogatiuis ad ſummũ cumulatiſsima, Caraſa familia progenitus. Eius Mater cum Montem, qui Virginis nuncupatur ad Deiparæ templũ pietatis ergo conſcenderet, monita ab Eremita quodam fuit, vt pedetentim pergeret, & ſatagens ſui vteri, quod Summum Pontificem concepiſſet, & gereret. Natus vna cum lacte pietatem ebibiſſe monſtrauit; puerulus enim Dominicanorum Eccleſiam frequentabat, & religionis S. Dominici ſitientiſsimus, duodecim annos natus habitum poſtulauit, quod ætas tenera à diſcreta Patrum illorum repulſa, obtinere non potuit. Similiter anno 14. S. Dominici habitum induere

Sebaſtian. Veron. in Chronic.

Ricordatus in Hiſtor. Monaſt.

ere proposuerat, sed diuina sic prouidentia disponente, & ad alium finem illum destinante, vi parentum à claustro, ad quod confugerat raptus, domum euocatus est, & sub optimis præceptoribus, artibus, Theologiæ, vtroq; iuri, litterisq; Græcis, Latinis, Hebraicis vsque ad miraculum eruditus: S. Thomæ doctrinæ fuit studiosissimus, vocabat illam *baculum senectutis suæ, & tunc Neapolim extinctum cum S. Thomę peperit.* Anno 30. Episcopus Theatæ consecratus est; mox ad Ferdinandum Primum Nuncius destinatur, postea apud Angliæ Regem eodem titulo Apostolici Nuncij decorarus, tanta dexteritate, iustitia, fidelitate, res tractabat, vt ad Ecclesiæ sum̃a negotia pertractãda natus videretur. Sed ignis religiosę vitę serpebat in corde eius, vt diuinæ, & cœlesti cõtemplationi vacaret expeditus, sarcina graui prælaturæ, deposita, quam onus Angelicis humeris formidandum semper existimauit. De licẽtia ergo Sedis Apostolicæ Episcopatu se abdicans adscitis aliquot viris ciusdẽ sancti propositi socijs, ad contemplationis arborem manum extendit, ordinem Theatinorum Romæ fundat suauissimos fructus decerpens, contẽplationi, apta loca Veronæ, & Venetijs inco-

lens, vita abstinentissima, pauperrima, & humilima contentus, se suaq; diuino cultui addicens, proximorum saluti intẽdens, manum suam extendit ad fortia, magno totius Christianitatis bono. Sed ne lateret lucerna sub modio ad Romanæ aulæ mores emendãdos, Concilium Oecumenicum absoluendum, licet bis modestè reluctans, tertio tandem obtemperans, Paulo IIII. vocante Romam reuertitur, inter purpuratos Patres cohonestatur: iterum Theatinæ Ecclesiæ præficitur à Deo tanquam Aaron vocatus. Collato honore in obeundis Senatorijs muneribus intentus, ita doctrina ac sanctitatis fama enituit, vt sol quidem inter sydera repentè ortus videretur: nã vitæ innocentia, religionis studia eximia eruditione, diuinarum litterarum notitia, facundia insigni in dicenda publicè sententia, inuictaq; animi libertate, nec minis, ac precibus reuocabatur, sic ad sui admirationem, & beneuolentiam accendit, vt ab eo tempore omni honore, Imperio Summi Sacerdotis fastigio omnium ore fuerit adiudicatus. Eius consilio à Paulo III. Sacrę Inquisitionis Tribunal, tanquã turris, quæ contra Damascum respiceret, hoc est aduersus hæreticã prauitatem, erectũ est,

est, ad id munus septem delectis viris Lacedæmoniorũ, & Athænienſium more, qui improbos, & perduelles nefarios, & refractarios, Apoſtatas, Hæreticos, Schiſmaticos, etiam flãma animaduerteret. Teſtes huius rei locupletiſsimi, Pauinius, & Petramellarius in vita Pauli IIII. Cynus de laud. Pauli IIII. Tuanus t. 2. Hiſt. anno 1541. Antonius Card. Carrafa in Apol. Thilneo, Ant. Cerrutus Carm. de Paulo IV. Bullengerus Ieſuita in hiſt. ſui temporis, vnde Cardinalis Sirletus in icone Pauli IIII. hoc elogio cohoneſtauit. Paul. IIII. chriſtianæ pietatis aſſertor, atq; reſtitutor: eidemque vſq; in hodiernum diem ſacrum Tribunal ſancti Officij tanquã cultori, auctori, Romæ in templo Mineruæ anniuerſarijs ſuffragijs aſsiſtit: quare quod in nouiſsimè edita vita Sancti Ignatij, Pater Ribãdera, ſine alicuius auctoris teſtimonio, ſuo Patriarchæ id opus tribuat nihil moror; potuit enim S. Ignatius (& ſic omnia concordant) à Cardinale Theatino, iam ſuggeſtum opus Paulo III. approbare, laudare, & ad defenſionem iam inſtituti operis, ſe & ſuos excitare, & conſilio priori auxiliũ miniſtrare. Ea etiã in re Caraſa murum ſe oppoſuit pro domo Domini, eius diſcretionis, ſo-

lus olfactus venatici canis more, lupos agnoscebat, & quærentes oues perdere, ac mactare discerpebat, illud sæpè pronunciãs [In matutino interficiebã omnes peccatores terræ, vt disperderem de Ciuitate Dñi omnes operantes iniquitatem] Vbi autem opus erat seueritatem benignitate temperabat, & ad sanandas animas pharmaca necessaria applicabat, cum quid, cui adhibendum foret omniũ sciret optimè. Eã sanãdi curam ostendit cum M. Antonium Flaminium insigniter linguarũ, & bonatum artium disciplinis eruditum, Hæreticorum tamen persuasione deceptum, propemodum iam supremo anhelitu palpitãtem adijt, & vices eius dolens, quem videbat ad Inferos properãtem omni humana spe destitutum, nihil cunctãdum ratus ad diuinũ confugit auxilium, fixis genibus, à Domino cõuersionem obnixè pestulabat. Vix orauit, & oratio eius diuinis beneficijs onusta reuertitur, nam vitã à Deo, & salutem moribundo homini adstãtium admiratione impetrauit. Fidei catholicæ restitutus Flaminius vixit catholicè, eidẽq; altera vice in extremis laborãti assistente, & viuente Carafa, receptis sacrosanctis Mysterijs, constãter fidei formula pronunci-

nunciata, animã spe bona cumulatã efflauit.

Hæc adeo præclara gesta cõrem adduxere, vt aliquod annorum exacto curriculo, ad Summum Pontificatũ euectus est, ac ipso die, quo Iesus Christus cœlorũ fastigia, olim ascẽderat, vt videlicet, etiã cãdelabrũ illud de tã sublimi loco Vrbem, & Orbem illuminaturũ esse significaretur, cum ergo veluti fax noctu ertãtibus per mare, Ecclesiæ bono apparuisset, omnes ad rectam viam conuertit, cum præfectis, & Præsidentibus confligens, cum ductoribus copiarum congrediens, apud Imperatores liberè loquens in concionibus, & Ecclesijs clamãs, eos, qui procul abessent, exemplo Pauli per epistolas conciliãs, atque adiũgens.

Ioanni, & Petro, Io: Petrus asimilis, nam in tãta opulentia mollẽ, & delicatũ vitæ cultũ respuebat, in negotijs solitudinẽ reperiebat, vt nunquã non esset solus, etiã si cũ alijs esset, nunquã à vento aũdo agitata, vtpote quę ad quoslibet tentationũ spiritus, & varios casus nũquã inflexa est, & vbi Ioannes ad Herodẽ liberè loquebatur, liberè Ioãnes de testimonijs diuinis, Dei lege, libertate ecclesiastica tuenda loquebatur, illos admonens, vt intelligerent, & apprehenderent disciplinã, ne perirent de

via iusta. Iudæã reformabat præcursor Io. suis minis,& adhortationibus: Io. itte totus erat in reformãdo orbe, abolendisq; vitijs,& prauis, quæ irrepserãt consuetudinibus Iudęos glauci coloris signo distinxit, vsuris finem imposuit, simoniacã labem aboleuit, pedicones,& effæminatos puniebat. Hæreticos infelicia lolia, ne sementẽ Christi vitiarent, demetebat, ad Hæresum vero flãmas, & flagitiorum torrentes extinguendos, ne domus Christi accenderetur, omni tempore festinus accurrebat. In eo autẽ Petrum imitabatur eius successor Io: Petrus, quãdo diuino zelo percitus, vtrum q; gladiũ assumens, vbi multa, & varia catapasmata, vel fomenta iuxta rei indigentiã esse nt adhibita, vt serpens sanaretur cãcer, putridas carnes resecabat iudiciorum seueritate, ita factum est, vt acrioribus remedijs sæculo isto indigẽte, propositis acerbioribus supplicijs, hominum libidinem, audaciã q; frænaret. Quid faceret, vt scripsit pientissimus, & eruditissimus D. Antonius Carocciolus, quid faceret, in tãto incendio Paulus, spectaret ne eminus deles, vt de turri Mœcenatica Nero, an vero accurreret celerrime extincturus? Accurreret vtique; nã, vt Sophocles ait, Acerbis in reb⁹ celeri-

Ex Antonio Caracciolo in vita Paul. 4.

celeritas est optima; alioqui, si Pauli properãtia accusanda esset, accusetur & Sanctus ille Aphraores, qui obiurgatus à Valente Imperatore Ariano, quod Monachus, & ætate grauis ad Gymnasium pergeret, vt Antiochenses in fide catholica roboraret, quid ni, respondit, ô Imperator citus accurrã ad restinguendum ignem, quo te incendente, domus Christi tota comburitur. Reprehendatur & magnus ille Chrisostomus, qui subito, ac Constãtinopolim Episcopus iniit, diuino zelo percitus, redarguere cępit corruptos ciuium mores, profligare hæreses, punire flagitia, potentiorum licentiã coercere, Clericos, Episcoposq; deijcere de gradu, quem ignaue tenuissent, ac scelestè. Quem nec Gainas exercituum ductor, nec Eutropius Consul, nec Eudoxia, minis, molitionibus potuerunt vnquã ab instituto cursu reuocare. Sed cum esset victor sui, excãdescens in impios, ira non superabatur, ira in manu eius vocata veniebat, exiens non erũpens, nutu adimpetũ ferebatur, non vrebatur illa, sed vtebatur. Illud mirum, quod cũ potentibus potens superbis resistendo, cum humilibus suauis, & mitis, vt pater esset orphanorũ, & iudex viduarum, vnde non sexus non

Apud Theod. 4. hist. c. 20.

non ætas, non conditio, vel persona discernebatur, omnibus omnia factus, vt omnes Christo lucrifaceret; sed non ita omnibus intendebat vt se totũ exponeret, quin quoq; à cura eriperet generali, sibi .n. pariter attendebat, oratione, meditatione, & pijs, sanctisque exercitationibus. ita deniq; totus suus, vt totus omnium esset, vt nec charitas, & regimen à custodia sui, nec sui solicitudo ab vtilitate cõmuni eum impedire, vel retardare in aliquo videretur. Debet illi certè, etiã nunc vniuersus fermè orbis, nã quod religioni Christianæ puritas, sacris rebus cultus, Sũmis Pontificib. maiestas, Christiano orbi pax firma, sublatis regũ discordijs, restituta sint, cũcta Pauli IIII. zelo, constantiæ, industriæ tribui debent.

Non maculant Sancti Pontificis gloriam, quod suis nimium fiderit, indeque sint multorum calamitatum tãta parua scintilla flammæ accensæ. Nam etiãm scripsit quidã Ethnicus. *Bonus, cautus, optimus venditur Imperator,* credulitas dixit alter *error magisq; culpa est, & tamen in optime cuiuscunque mentem facile irrepit.* Et admirãti Petro, quod Apostolicę Sedis Antistiti contra Equitium virum sanctum adulãtium lingua subrepserit respondit Gregorius, *Quod miraris Petre, quia fallimur, qui homines sumus.* Certè magis execrandus est.

In vita Diocl.

1. dial. c 4.

dus est, *qui fraudulenter obrepsit, quam culpandus ille cui negligenter obreptum est*, scripsit S. Cyprianus ex- Ep. 68.
cusans Cornelium à Basilide. Verũ eam nebulã charitatis eius ardor dissoluit, nunquã enim fuit praua aliqua effectio calamitatũ causa, sed temporum conditio, satanæ inuidia tẽtantis diuini nominis cultum, & gloriã impedire. testatur id ardens zelus diuini honoris, & tuendæ Pontificiæ dignitatis, quã nunquã Catholici Reges, Cæsaresq; inclyti, sed quidã suis artibus violare pergebant. testatur catholici pietas in cõditionibus pacis, Ecclesiæ honorificis, regia etiam pietate, & religione dignis, testata sunt verba eiusdem pientissimi Regis Catholici vicem Ecclesiæ, & mortem Pauli Quarti dolentis atq; dicentis, *Tunc sublatum tantum Pontificem, quando viuere debuisset.* Soli homines insigniter improbi, per insanam rabiem quem viuum extinctum cupiebant, emortuam statuam rapuerunt, fregerunt, non nouã iniuriã meditantes, sed vterem Constantino, Theodosio magnis atq; optimis Principibus renouãtes. Satis est ostendere tanti mali auctores fuisse qui sacri Tribunalis sancti officij carceres confringere, Commissariũ ordinis S. Dominici vulnerarunt, hæreticos 70. inter

quos 42. dogmatizantes erant, liberarunt, Cœnobium Mineruæ adorti, vt Fratres Prædicatores, quos nouerunt pugiles fidei flãmis deuouerent, quod præstitissent, nisi impietati pietas Romana restitisset. At Pauli simulachrũ aboleri potuit, virturis imago deleri non potuit, bonorum omnium pectori infixa est nec commendatione marmoris, aut pigmentorum fucis renitet, sed desiderio floreſcit animorum. Vna Pauli IV. obliuio, esset humani generis occasus. Quomodo aboleri virtus poterat, quãdo vsq; in finem certaminis gloriosè decertans, palmã reportasse pijssimè creditur: si marmor frangebat impietas animam quã cœlo præmiserat (illud enim post susceptа Sacramenta occinuit in extremo halitu, Lætatus sum in quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus, lædere non potuit. Viuit in Christo gemma Sacerdotũ grauissimus Christianæ pietatis atq; superioris cultus assertor, atque restaurator.

D. Ant. Caracciol. in eius vita.

Fœcundus alter palmes secundus post Petrum Carafam tanti sodalitij, ac huius Vineæ plãtator Beati titulo decoratus Caetanus extitit, è nobili Tienensium familia, vir vita, præstantia, exemplo conspicuus, conuersatione humi

humilis, mãsuetus, modestus, pauci sermonis, in prædicationib⁹ assiduus, cui de more erat persoluto matutino, precum officio, eodem quo psallebat loco, genibus humi fixis, mente orare ad horam vlq; sacrificij. Hic Neapolim aduenies, vt religionis suæ fundamẽta iaceret, egregię sanctitatis specimen exhibuit publico Ciuitatis voto S. Pauli Basilica super euersum Dionurorum phanum, à Christianis cõdita, sibi & suis concredita, quorum probitas, eruditio, religio, conceptæ de his opinionis non fallaciter respondit. Opportuna certè, à diuina prouidentia ordinatio, tam insignem agricolã destinando, vt mala gramina, quæ serere satagebat satanas, vel in ipso ortu præcideret. Si quidem Bernardinum illũ Okinum, & Petrum Martyrem Vermilium, ãbos Hęreticorum antesignanos lupos esse sub ouina specie occultatos, detexit, qui per dulces sermones, & dulces benedictiones seducere conabatur innocentium corda, venena lethalia hęresum sub mellitis verbis propinantes, quibus in fugã conuersis, securus mansit grex ille, qui à S. Petro Apostolorum Principe fidei documenta perceperat. Paupertatis fuit amantissimus, vt redditus exhibitos abrenunciarit,

ciarit, & si nonnulli in ea essent sententia, vt certi prouentus censusque perpetui ad instar multorum aliorum ordinum, exigi pateretur: ipse vero solum innixus Dei immediatæ prouidentiæ, & fortunis piorum oblationibus, firmiter omnia sperabat, quæ diuini verbi firmitas in suo Euãgelio sibi famulãtibus promitteret inquiens, *Quærite primum Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Signis quoq; cum Dominus illustrauit, nam mulierem quãdam nobilem morti iam proximã, sacro liquore, qui è corpore Sancti Andreæ Apostoli fluit, pristinæ sanitati restituit, quod etsi S. Andreę meritis adscribatur, à porrigentis exorantis Caietani virtute non est cessendum alienum Diaconum quendã suæ familiæ phrenesi apertaq; dementia diu laborantem liberauit, vbi tota nocte Deum orando, & gemendo transegit, ipso illo die conualuit, adeoque menti restitutus, vt sacerdotio postmodũ fuerit initiatus. Item cum nauis in Adriatico mari, qua ipse alijque vehebãtur, iam penè ex procella valida mergeretur, fidei & precationum ancora confisus, iacto etiam in iratum mare cereo agniculo, extemplo tempestatem sedauit. Quis omnia enumeret?

Demum

Demum post innocentissimã vitam translatam, fractus senio, & febre super durum suum paleis infarcinatum lectulum decumbẽs, omni reiecta delicati strati mollitie, diuinis mysterijs munitus, mortem quãdiu exoptauerat, lætãnter excipiens, maxima animi deuotione, bonis operibus refertissimus, Christo Dño, quem in Cruce, & labore imitatus fuit, spiritũ reddidit. Cuius anniuersarios honores Vicentini ciues celebrãt, & authoritate Apostol. miraculorũ, & vitæ actæ recipiuntur.

Tertius subsequitur fœcũdus palmes, Bonifacius à Colle, vnus ex illis duodecim, qui in barbarica irruptione sub Borbonio Duce, præ ceteris martyrij constantiã ostendit, dum ad truculenti militis iussionem, collũ extendit ad vulnus, ab euaginato iam gladio excipiendum, qui tametsi non cęsim, sed lato ense percussionem persenserit, nihilominus ictus vehementia, & naturalis mortis horror, viuaq; mortis imago, plus animum percussit, quã si re vera gladius caput obtruncasset. Nec martyrij palmã amisit, cum à sicario impœnitente in illud discrimen adductus, vt aut pugione cõfoderetur, aut absolutionem impertiretur, quã angustiam non aliter sopiuit, nisi positis

genibus pectus exponendo, vt & tã insignem impietatem emolliret, & tàm præclari facinoris coegerit esse declamatricem. Quomodo non charitati vota, charitati professio, charitati religio vniuersa tanti viri deseruiebant, quando animã suã non semel posuit pro dilecto suo? & quia mundana, omnia desipiebãt, cui solus Deus sapiebat, non honores ambiebat, nec gloria cupidus obsequia vberiora desiderabat, sed finem certaminis, patiens laboris, propemodum securus meriti, prestolabatur. Ad honores, quos euocatio ad Põtificale palatiũ promittebat, noluit obtut' defigere. *Satis*, dicendo, *est mihi, quod habeo, solum mihi superest sepulchrum.* Talia senex, qui cum venerãda canitie candorẽ immaculatũ, & sanctã simplicitatẽ copularat, cælo tãtũ dignus est habitus, qui radices nõ interra fixerat, sed in cælo.

Quartus, & huius vineæ conditor Paulus Consiliarius, Pauli IV. familiarissimus, quem intimi cubiculi Præfectum è Venetijs accitum constituit, Vaticanæ ædis Canonicum fecit, vt his gradibus ad purpurę dignitatẽ paulatim assumeret. Sacrosanctam Vaticanã ædem diuino cultui, & sacrarum rerum nitori vehementissimè intentus, & multò magis virtutibus,

tibus, & frequentissimis precibus eximius iste virtutis cultor mirificè illustrauit. Inde ex frigido temperamento Vaticani cœli tussi contracta, rupta pectoris vena, post dies quadraginta ad extrema deducitur, quem & ipse Sũmus Pontifex pluries visitauit; matremq; quę vicem suã dolebat, his verbis consolatum esse perhibetur. Quid fles mater, si me mortalem genuisti immortalem me Christus regenerauit ad vitam, cuius meritis obtinere spero. Pectoris mei arcanum tibi non reuelare non possum. Ex Dei gratia virginitatis candorem hucusque illæsum seruaui. Donum Dei est, cuius totum est quod sum, à quo peccatorum indulgentia, & meritorum, ipsius sunt dona; palmam humiliter, & supplex imploro. Sed deniq; Sacramentis Ecclesiasticis ritè munitus, migrauit ad Christũ. Magnus vir si non miraculis, magnus triumphis, quæ si patrassent augustiora fuissent opera, nunc vero virtutibus clarus, sunt hęc eminentiora, æternisque præmijs digniora.

Primus vitis Vineæ huius ab his quatuor plãtatoribus institutę efflorescit Bernardinus Scottus, qui anno 1523. religionem istam ingressus, eminentissimæ virtutis, & prudentiæ specimen ostendit. Cum Aloysio Lippomano Legato Apostolico in Germaniã collega destinatur ad scissuras de religione resarciendas

das ob publicationē, interim, cuius consilia, tanquā oracula à Legato recipiebātur.

In Pontificatum euecto huius almę Religionis protoparente Paulo IV. primogeniti non est oblitus, quod eius mentem, & arcana primus omnium nouerat, & in cuius virtute, & integritate iamdudum conquieuerat. Eum Archiepiscopum Tranensem, & S. R. E. Præsbyterum Cardinalem creauit. In ea dignitate omnibus virtutibus, sed religione, & prudentia in primis tanquā sydus firmamenti emicuit: caput congregationis S. Officij ad censendos Hæreticos instituitur. At breui hinc migraturus, Placentinā Ecclesiā (ad quā ex Tranensi translatus erat) à se liberè cum omnibus redditibus abdicauit, vt expeditius in stadio curreret ad capessendā coronam vitæ; quod accidit ab huiusmodi abdicatione, sequenti mense. Placide obdormiuit in Domino, superefluentem mensurā meritorum à iusto remuneratore recipiens 1568.

Non minori sanctitatis fama enituit D. Bartholomęus Veronēsis, de quo Paulus IV. ad Caietanum scribens, hoc dedit testimonium sanctitati. *Primum quod apud nos irreprehensibiliter vixit, iugumque Domini vsque ad mortem constantissimē, libentissimeque portauerit, tum quod in exitu longe maior*

Ant. Caracciol. in vita Benti Caiet.

*maior apparuit, quam quisque illum existimare potuisset.* Hic nocte natiuitatis Domini ad Ecclesiã pergens Sacram Eucharistiã susceptt, lectoq; decumbens, certaminis extremi vnctione perfusus est, qui vt idem Papa Paulus IV. scribit. *Sacramentum illud summa cum deuotione, & alacritate quasi futurę victoriæ insigne suscipiens, in festo Sanctorum Innocentium inter choros Sanctorum Angelorum, & Patriarcharum, & Apostolorum victor abscessit.*

Insignis Pater Ioannes Marinouius virtutibus miris in hac Vinea efflоruit, religionem ingressus est 1528. sub præfectura B. Caietani, & sub præfectura Pauli IV. solemnem professionem emisit, omnibus virtutibus, sed puritatis, innocenriæ, orationis, humilitatis, obedientiæ, charitatis præcipue actibus emicuit, crucis mortificationem iugiter in suo corpore portãs, flagellis, ieiunijs, carnem spiritui, & alijs asperitatibus seruire cogebat, lachrymarum dono tanquã cœlesti imbre anima eius fœcundabatur. Nulla re magis delectabatur, quã sui contemptu, vnde nihil magis, quàm honores formidabat. Archiepiscopatũ Neapolitanum multo lachrymarum imbre Paulo IV. propemodũ vrgente, S. Thomæ Aquinatis, cuius erat studiosissimus exemplo (salua virtute obedientiæ) recusauit. Virginitatem

perpetuo coluit, multa prædixit, alijſq; ſignis eius adhuc viuentis conuerſatio demonſtrata eſt. Obdormiuit in Domino tam incredibili omnium mœrore ob cõmune, priuatũq; cuiuſq; damnũ, tam magna admiratione, ob ſingularem ipſius ſanctitatẽ, magnaſq; virtutes, quibus ab ineunte ætate vſq; ad extremã vitæ ſuæ horã maximè claruit, vt nemo illum non fleuerit, nemo nonlaudauerit, dixeritq; Beatum: omnes illum hominem ſi poſſent omnes illius vitã imitari, illius vitæ, terminum aſſequi maximè cuperent. Eius gloriæ, tum in primis eius innocentia, tum omnis animorum conceptus,& nõnullæ apparitiones, gloriam, eius conteſtãtes demonſtrant, eidemque tam illuſtrem vitam, vt ei Diuorum decernantur honores, ſatis ſuperq; mereri. De eius vita, & ſigna authoritate ordinaria recipiuntur teſtimonia ad canonizationis effectũ.

Felix quoq; inſpicitur palmes B. Andreas Auellinus, qui 1556. religioni Theatinorũ dedit nomen, tanquã alter Abraham, non modo à patria, vel gente, ſed ab ipſa ſuamet vita abſciſſus ſpõte cum Iſaac in hoſtiã ſe colligãs. Et quaſi alter Iacob in ſuis præfecturis pro grege ſibi commiſſo inuigilãs. Andreas alter

Moyſes

Moyses orationibus diuinas ligans manus; & tãquam alter Aaron, ac si totius mundi esset Sacerdos, pro vniuerso orbe, Deo quotidie supplicans, & sacrificãs. Vt alter Phinees fornicantium œstrum (quando sacras virgines custodiebat) fidei mucrone confodiens, ipse in facie stigmata, & vulnera pro virginũ Christi tutela reportans, miraculis, & signis, ipsis quoq; syderibus cœli fulgentiora, & illustriora. Andreas alter Iosias, qui abominationes Idolorum, hoc est peccatorum, & lucos densos iniquitatũ, declamãdo dissipauit, & perdidit. Alter Elias zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, peccatores arguendo, vitia detestando, regularem obseruantiã, in qua viguit formiter retinendo. Alter Eliseus à lepra curando, quod in sacris confessionibus iugiter faciebat leprã à lepra optime distinguendo. Alter Paulus tanta in omnes homines charitate flagrabat, quasi vniuersum orbẽ genuisset; sic perturbatur, sic curabat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere, docendo, orãdo pro ipsis, cum ipsis etiã supplicãdo, & terrendo dæmones, & corruptores animarum fugãdo, aliquãdo epistolis, aliquãdo præsentia, nunc sermone, nunc rebus erigendo

Mutuata ex Chrys. de laudib. Pauli.

labentes, ſtãtes firmãdo, humi iacentes attollendo, ſanãdo contritos, tepidos animãdo, & more periti medici artis ſuæ inſtrumenta geſtãdo, fixus ſtãs in omnium arce virtutum locatus, omnem flãmam incẽdio charitatis ardore vincẽdo] Moritur quaſi cõmunis orbis Patet anno ætatis ſuæ octuageſimo octauo, anno 1608. ab altari ad cælum trãſlatus: in altari enim apoplexia correptus, vbi dicere incœpiſſet, *Introibo ad altare Dei*, iuge ſacrificium, quod explere non potuit in altari, ad regnum cœleſte ſeipſum ſacrificium offerens trãſmiſit, & ſanguis effuſus, tanquã abyſſus abyſſum inuocãs ſanguinem, qui è cadauere viuus, & floridus emanauit, vt languis ſanguine miraculoſo appretiaretur, & præmiaretur, promeruit. In Beatorum numero à Sede Apoſtolica adſcriptus eſt anno 1624.

Sed & Iacobus Tornus etiã fama ſãctitatis clarus procedit. Hic alter Antonius, ex oratione, ieiunijs, ſilentio, contra viſibiles, & inuiſibiles hoſtiũ generis noſtri inſultus pugna diuturna, à quibus nõ ſemel diuerberatus patientiæ, vt & in cæteris infirmitatibus, ſe præbuit exẽplar, poſt 50. annos à profeſsione maxima adſtãtium ædificatione, ſpiritũ Deo reddidit.

didit, cuius vestes deuotionis ergo à populis pręciſę ſunt in teſtimoniũ opionis ſanctitatis.

Veſter palmes eſt Bernardus ille Tudertinus Staurofones, qui Crucis mortificattionẽ in ſuo corpore quoq; portauit, paludat⁹ enim cilicio ingentẽ trabẽ Crucis ſacroſanctæ imaginẽ efformãtis baiulabat. Adhuc in ſæculo, & in religione moriens mundo, crucifixi expreſsit imaginem vnde ad palmam meruit aſcendere, qui fructus crucis decerpſerat.

Veſter Petrus Foſcarenus Pariſienſis Doctor, qui & Epiſcopatum Baiocenſem, deferente Paulo tertio, conſtãter recuſauit. Eximiæ Orationis, & contemplationis vir, qui anno 1551. ad Dominum migrauit Neapoli ſanctitatis odorem ſpirãs.

Veſter Seuerus Fundenſis, qui mortificatus prius, quã mortuus, ab affectibus huius vitæ ſegregatus, antequã à vita ſepararetur, vitã ſempiternam inuenit ſanctè moriens 1542.

Veſter Thomas, Goduellus Conturbienſis, Epiſcopus Aſaph creatus à Paulo Quarto, qui intrepidè Eliſabeth Reginã Angliæ de vſurpato ſupremi capitis Eccleſiæ Anglicanæ titulo redarguit, minas, & honores ſpernens. Sed Anglia hunc repudiauit Epiſcopum, vt

totus

totus mundus eundem coleret, Episcopi virtus eundem vt complexa est mundũ, imo potius mundus eius virtutem. Vitæ sanctitate, fidei confessione, atque doctrina conspicuus, nuper Romæ dolore omniũ optimorũ ex humanis sublatus, &, vt dixit Nicolaus Sãderus feliciſsimè, & sãctiſsimè obdormiuit in D. 1585.

Vester Hieremias ille Isachinus, cuius tãta in prædicando compunctio, vt S. Carolus in oratorio sui palatij, spiritus feruore delectatus, libentiſsimè, ac sæpiſsimè audiret disserentem. Abstinentia verò mirifica, vt sicut de Basilio legitur, cutis sola ossibus superinducta videretur. Charitatis virtute omnes superauit, ponens animam suam pro proximorum salute. Grassante enim lue Patauij, infectis, proprijs manibus deseruiebat, Sacramẽta ministrabat, & cadauera sepeliebat; qua demum percussus, inuictum spiritum vna manu Crucem tenens, altera librũ, ei tradidit, qui pro omnibus mortuus est 1576.

Vester Io. Paulus Montosanus, virtutum omnium emporiũ, ipsiq; generis humani hosti formidabilis: Dei enim organum, & instrumentum videbatur, à cœlo lapsum ad energumenos liberãdos. Sed signum virtutum extitit,

titit, in infirmitatibus admiranda, & inuicta patientia; quarum omnium testimonium non vulgare, fuit concursus populorũ in eius morte vitæ sanctitatem contestantium.

Vester Antonius Agellius Episcopꝰ Acernensis linguarum peritissimus, nostrorũ temporum Hieronymus, qui in restituenda 70. Interpretum, & vulgatæ sincera lectione ex emendatissimis codicibus talem operã impendit, vt propemodum ex labore, oculorum luce priuaretur. Notæ illæ, quæ in Biblijs Sixtinis 70. Interpretum leguntur, fœtus Agelli existimantur. Tanquã oraculum in Congregationibꝰ Sacri Concilij, & alijs habebatur. Ipsius quoq; cõsilio innumera volumina Talmud flãmis exposita; tantiq; viri pectus, & animũ inuictum oblata ab Hebræis immensa auri pecunia, flectere non potuit, vt à recta sententia discederet: auroq; repudiato, maiores diuitias existimauit veritatem defendere, quam opulentam gazã obtinere, paratus quoq; ad sustinendum improperium Christi. Hic tandem Episcopatui renunciãs, contemplationis quieti se tradẽs, felicem cursum consumauit, multis ad posteros relictis suæ doctrinæ monumentis.

Dies

Dies me deficeret enarrantem, & recenſentem memoriã Cardinalis pientiſsimi de Aretio Archiepiſcopi Neapolitani (mirę ſanctitatis viri, cuius vita, & ſigna ordinaria auctoritate nunc examinatur) Necnon & D. Saluatoris Caraccioli Epiſcopi Compſani, Pauli Tholoſæ Epiſcopi Theatini (vt alios ſilentio prætereã) hi enim proceres, & Epiſcopi, fuerunt fidelis populi duces ſtrenui, veritatis aſſertores, prauæ doctrinæ hoſtes, exempla bonorum operũ, documenta virtutum, & norma fidelium. Quos non inflauit honor exhibitus, ſed exercuit onus impoſitum, nec excellentiã cogitarunt ſuã in promotione, ſed ſarcinam; non gloriantes de officij dignitate, ſed ſudarunt potius ſub pondere conſtituti: qui facti diſpenſatores Dominicæ domus, tãquam fideles, & ſerui prudentes, cœleſtis Patris familias abũdè donorũ cęleſtiũ chariſmata populis, tãquã cibaria diuina miniſtrarunt.

Etiam omnium virtutum genere hæc fœcunda vinea floret, & fragrat. Alius enim ſcientiæ floribus exornatur, alius diſcretionis ratione robuſtius communitur, alius humilitatis, alius continentiæ virtute præfertur, alius ſimplicitatis gratia decoratur. Hic magnanimitatis

mitatis, ille misericordiæ, iste vigiliarum ille taciturnitatis & laboris studio supereminet ceteros. Intueor hunc singularis abstinentię, alium vero patientiæ, admirandæ. Hunc summæ mãsuetudinis, alium multæ pietatis; istum in contemplatione frequenter excedere, hũc pulsare cœlos orationum instãtia, alios q; in alijs præeminere virtutibus. Omnes feruentes, omnes deuotos considero, omnes donis, cœlestibus & gratia affluentes, tanquam spirituales re vera montes, qui à Domino visitantur, vt illorum species quasi quædã forma nobis imitanda proponatur, quia viua lectio est vita bonorum. Interioris puritatis, atque munditiæ, exterior munditia testis sufficientissimus; vnusquisq; enim solicitus pro decore dom⁹ Dei inuigilat, (vt verbis S. Hieron. vtar) *si nitet altare, si parietes absque fulmine, si pauimenta tersa, si vela semper in ostiis, creberque ianitor in porta, si sacrarium mundum, si vasa lutulenta*, & in omnes ceremonias *pia solicitudo dispositа, non minus, non maius negligitur officium*. Epist. ad Hiriod

Constituunt iugiter diem solemnem in condensis frondibus, floremq; sertis vsq; ad cornua altaris, diuersi generis floribus & arborũ comis, cãcellos, & thecas Sanctorum exornãdo, vt nec genialis hyems pur-

pureis roſis, & obdurata glacie, arua quoque laxentur; vt floribus calathi cumulari poſsint, ad aras, ſacrorumq; oſsium thecas exornãdas. Tãta demum fide vniuerſa procurãt, atq; diſpenſant, vt etiã ea, quæ deſpectui habentur, paruaq; reputentur, ac vilia; vt ſi tenuem feſtucã de oratorio, cellaue ſubmouerint, mercedem ſe conſecuturos à Domino, tota credulitate confidant. Multos ad Deum ſanctè viuendo, & prædicãdo conuertunt: verborum ſalubrium medicaminibus curant, afflictos conſolantur, errantibus viã ſalutis oſtendunt, deſperatis ſpem veniæ conſequendæ promittunt, remorãtes accendunt, vt plures eorum exemplo, & verbo regnorum cœleſtium efficiantur cohæredes; eorumdemq; virtutibus creſcunt, qui per eos, Deo auctore, proficiũt: & DEO ſuo inſeparabiliter adhærentes (in quo ſolo credunt ſolida, ac permanſura bona repoſita) mundi eius gaudia, opes cõmoditateſq; faſtidiunt; volentes .n. Deum poſsidere, renunciãt etiam redditibus in communi, vt ſit illis Deus beata poſſeſsio. Cõpendio dicã hęc ſancta religio, nedum vinea, ſed hortus concluſus eſt, ſpecialiter conſitus, pro delicijs Dñi, imaginem cœleſtis patriæ præferẽns, imo

imo videtur noua Hierusalē de cęlo descēdisse à Deo parata, & ornata sicut spōsa viro suo.

Non desunt botri vineę; siquidem Panormi lue grassante, vbi flexis genibus fermè vniuersi PP. domus S. Ioseph, Patri Præposito ad ministrandum Sacramenta,& infirmis inseruiendū se obtulissent; sors cecidit super P. Alexandrum Trotta,& P. Antonium Menghi, P. Caietanum Vindacium,& P. Antonium Borsa, & duos fratres laicos. Hi admirabili charitate ægris famulātes, vitā in discrimen adduxerūt, vt Christo animas acquirerent, qui pro omnibus mortuus est; vnde nedum apud homines, sed apud Dominum maximā sibi gloriā compararunt. Sed præ cæteris huic ministerio addicti, indefessiùs laborarūt P. Trotta,& P. Menghi: nā (vt Inquisiter Panormitanus suis litteris testatur) P. Trotta nedum infirmis viuentibus obsequia præstitit, sed etiā mortuorum cadauera tabo effluētia, proprijs humeris, tanquā alter Tobias ad tumulum deferebat. Vnde ipse quoq; epidimia percussus, sui quoq; oblitus, quāuis sacro perunctus, oleo, è lectulo surgens, alios ad bene moriendum confortabat. Tandem felici morte expirans, charitatis præmium reportasse credendū est.

P. Ménghi post quatuor dies, quibus penè sopitus iacuerat, cœlestem harmoniam audire meruit, & B. Virginem cum Sanctorũ choro incedentem inspicere, Et tandem maximo spiritus feruore spiritum Deo reddidit. Cui similiter eodem mortis genere adiunctus est alter frater laicus, martyrij palma non defraudati (vt meritò inter botros vineæ recenseri debeant) quãdo sub Valeriano Imperatore pientissimi quidam fideles, quia grassante peste, infirmis ministrantes occubuere, in publicis Ecclesiæ tabulis inter Martyres annumerantur. Mam (vt dicit Dionysius Alexandrinus) propter incredibilem pietatem, & robustam fidem à martyrij splendore nihil distare videntur.

die 28. mẽsis Febr.

Apud Euseb lib. 7. cap. 16. & 17.

Quantũ verò oculis colũbinis alias visus fuerit Mendicantium Ordinum chorus decorus, & formosus, satis probatur ex Illustriss. Cardinali Bellarmino (vnde forte, vt aliqui scribũt, liber attitulatus de gemitu colũbę, non esse ipsius existimatur, aut ibi supposititia quædã esse inserta, de qua re non moror) vbi enim eorum sacrosanctum statum aduersus hæreses nostrorum temporũ argumentis approbasset, & ora hæreticorũ de religionis sta-

Reuerendiss. Episcopus Monop. Chronic. p. 5. c. 61. lib. 3. pag. 416.

tu, &

tu,& religiosis obloquentiũ oppilasset, sic florentem etiã nunc religiosorum statũ, præsertim S. Dominici, & S. Francisci, aureis verbis (tanto athleta fidei, & hæreticorum hoste acerrimo dignis, & hoc tempore opportunis ad defectũ religiosorum potius opprimendũ quàm exemplandum) celebrauit. *Tertio, & vltimo probatur*, nempe religiosorum Mendicãtium status, *ex eventu. Nam hoc genus vitæ innumeris signis & prodignis confirmatum est, quæ Deus edidit per SS. DOMINICVM, & FRANCISCVM, auctores huius vitæ. Deinde AB EO TEMPORE conuersio Gentilium, confutatio Hæreticorum, pietas populi Christiani, conuersatio Theologiæ, & innumera alia bona Ordinibus Mendicantium, maxima ex parte acceptaferenda sunt.* Si ab eo tempore, vsq; ad præsens ex verbis istis tam floret Mendicantium status, iuxta mentẽ pijssimi Fidei anthletæ, corruptus dici non potest, & fructus florentium istarum vinearum nullo modo à spinarum scãdalis, quæ vulgo obijciuntur, læsionem patiuntur; & si quæ essent, pulchrioré statum religionum, non deformem, vel corruptum efficerent, vt illud etiam occini posset: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Vnde appellat spinas* (ait Aug. lib. 3 contra Cresc. Grammat. c 38.) *nisi propter malignitatem morum: & easdem vnde filias, nisi propter communionem Sacramentorum?* Sicut ergo

Bellarm. tom. 2. lib. 2. de Monach. c. 45.

Cant. 2.

in Ecclesia Catholica anima fidelis pulchrior redditur ex admixtione malorũ; sic Religio scãdala habens admixta, splendidior. Vnde meritò idem Sanctus dixit in ps. 92. *Necesse est vt si profitis, inter iniquos viuas.*

## CAPVT XXX.

### De nouissimis operariis vineæ Ecclesiæ Catholicæ Venerabilibus Patribus Societatis Iesu, & vberrimis fructibus per eos reportatis.

AD nouissimos Vineæ Christi Domini cultores Patres venerabiles Societatis Iesu merito nuncupatos (dicente Ambrosio serm. 47. *consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis*) intuendos descendo. Vitis illa abundans, illico occurret de qua dici po-
c. 1. 4. test, quod scripsit Oseas. *Ibunt rami eius, & quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani.* Abundans certè vitis non in lateribus domus Dei plantata occurrit S. Ignatius Loyola, quam cum cœlestis agricola ab actibus huius sæculi præpurgasset conuertens militis lanceas in falces, & gladios in vomeres ad arandas gentilium pectora pro Euangelij dissemination̄e, adeo creuit

creuit in filijs suis, vt iam extenderit palmites suos vsq; ad mare, & vsq; ad flumen propagines eius. Mittuntur si quidem rami eius (missionis enim quarto voto deuinci solent, qui solemnem professionē emittunt) & ad Indos, ad Lydios, ad Lybiā, Æthiopiā, aliasq; remotissimas regiones, ad Insulas longè, quæ de Deo non audierunt, alacriter properantes, tanquā cooperatores terram humani cordis, concionibus, confessionibus, lectionibus, catechismo excolunt, & cœlesti prædicationis imbre, & rore, irrigātes fœcundant, & folijs, floribus, fructibus, hoc est doctrina verbo, & exemplo viuidos ramos tātæ vitis satis ostendunt. Pendent è ramis botri, Martyres illustres, *nec deest* dicā cum Cypriano *autumno, ad munera fungenda temporis gratia spiritualis, vindemia foris premitur, & profutura potulis, in torcularibus vua calcatur.* Innumeri enim huius vineæ alumni, partim Sacerdotes, partim Laici à Gentilibus, aut Hæreticis expressi, vinum martyrij meracissimum, in cellam vinariā sponsi inferentes recensentur, à societatis huius teneræ incunabulis, vsq; ad præsentia tempora, qui lauerunt in vino stolā suā, & in sanguine vuæ pallium uum, gl oriosè pro Christo occumbētes. Hi

Er. .6. ad Moysem, & Maxim

sunt

Ex Hist. societ. & litter. annu.

sunt Antonius Criminalis protomartyr societatis. Consaluus Sylueira, Petrus Martinez, Io: Baptista Secura, Ignatius Azeuedo cum triginta alijs socijs, Frãciscus Castrius cum vndecim, Edmundus Campianus, Rodulphus Aquauiua cum quatuor socijs, Iacobus Salerius. Guilielmus Saltomachius, Martinus Laterna, Iacobus Ghisai cum duobus socijs, *alii quoque* (vt Gualterꝰ ait) *ex hac societate non pauci, qui hoc eodem sæculo per tyrannicum hostium Ecclesiæ vim, in cælum euolarunt.* Et nuper in Regno Iaponiæ, vt ex litteris authenticis à P. Priore Prouinciali ordinis Prædicatorum apparet, cum Patribus S. Dominici, Francisci, Augustini, eadẽ fidei confessione contesserati, multi quoque venerabiles Patres Societatis gloriosè occubuerunt. *Vos ergo* dicã cum Cypriano *de Domini vinea pingues racemi, & iam maturis fructibus botrẽ pressurę secularis infestatione calcati,* Ecclesiam decorastis. *Vini vice sanguinem funditis, ad passionis tolerantiam fortes, martyrii poculum libenter hausistis.*

Gualterus Chronic. pag. 750.

Apud Reuerendissimum nostrum Fr. Ioan. Lopez Ep. Monop. lib. 3. c. 53. Hist. S. Dominici, & nouissimas alijs relat. Philipp.

Pendẽt hinc quoq; Confessorum germina orbis frondosæ succum haurientia, quibꝰ eadem S. Ignatij, arbor tanquã ornamento vestitur. Aspice germen illud, filium, & socium S. Patriarchæ S. Franciscum Xauerium, germen sublime, & glorioſum, virum planè Apostolis

ſtolicum, & chariſmatibus Apoſtolis cõmunicatis, prophetia, linguarum genere, miraculorum dono, ſtipitem reddens clariorem, (gloriâ ſiquidem patris filius ſapiens) qui ſi nil aliud in horreum Dominicum inclufiſſet, quàm trecenta hominum millia ex infidelitate conuerſa, (vt ſcribit Bozius) ſatis ſuperq; cumulata merita, & refertiſsima præmia ex ſola prædicatione reportâſſet. At in omnibus virtutũ actibus heroicis cũ iugiter ſe exercuerit, eadẽ menſura remetitum eſt illi: menſurã ſiquidem bonã, confertã, coaugmentatã, coagitatã, ſupereffluentem dedit Altiſsimus in ſinũ ſuum, iuxta menſuram meritorum eius, quæ iuxta menſuram donationis Chriſti metienda docuit Apoſtolus. Iſp. & de ſignis &c.

Poſt S. Franciſcum occurrent ibi, Beatus Aloyſius Gonzaga, B. Staniſlaus, B. Franciſcus Borja eximię ſanctitatis viri orbi notiſsimi, qui Beatorum albo iam ſunt adſcripti ab Apoſtolico Throno.

Famigeratiſsimi ſunt primi huius vineæ cum S. Ignatio cultores, Lainius, Rodericus, Codurius, Iaius, Broetus, Faber, Bouadilla, Salmeron. Emicant cum his Antonius Araozius S. Ignatij propinquus, Antonius Corduba,

ba, qui oblatum sibi cardinalatus honorem, societati se addicens recusauit: & Iacobus Hozius, cuius anima à S. Ignatio inter cœlicolas visa est aggregari.

Nostris quoq; temporibus cum sanctitatis opinione, decessit Pater Bernardinus Realinus, cuius vita, & signa ad beatificationis, aut canonizationis effectum examinata sunt, similiter P. Bernardus Colnaga, vir doctissimus, & pientissimus, qui pluribus annis sacrã Theologiã interpretatus est, & Doctoris Angelici Thomæ Aquinatis doctrinæ studiosissimus, eius fuit Hyperaspites. Pietate verò, & religione mira effulxit: erga alias Religiones, præsertim SS. Dominici, & Francisci adeò erat affectus, vt solo habitu ab illis discerni videretur; semper è chronicis, & monumentis harum sacrarum Religionum exempla, & documenta in concionando proferebat ad populos inflãmandos, vt vbertim flendo durissima pectora emolliret, & ad pœnitentiam prouocaret magno, amarum fructu.

Quis verò recenseat Guzmannos, Padillas, multosq; alios Dynastarum, & innumerabilium illustrium virorum filios, calcatis mũdi illecebris, nudum Christum sequentes, in alti-

altissima paupertate ditissimos, & virentibus meritorum foliis vitem protoparentis eorum exornantes. & quis multitudinem eorum, qui cum perfectionis, aut opinione sanctitatis obierunt recensere valeat? Pergo, & eundem S. Ignatium, vt oliuam contemplor, dicere enim potest, *ego quasi oliua fructifera in domo Dei.* vnde quasi oliua erit gloria eius. An non oliua fructifera S. Ignatius, cuius fructum quinque sibi sapientes virgines, vt verbis vtar Hieronymi, parauerunt, ex quo vulnerum mitigatur tumor, languentis membra requiescũt, in tenebris lumen accendit, vnguntur in agone certantes? ad hoc enim S. Ignatij, & filiorum tendit institutũ, vt ex confessionibus medela, ex prædicatione splendor, ex disputationibus, & congressibus cum Hęreticis victoria reportetur. Ad oliuam spectat, ad alendam iuuentutem, scholarum, collegiorum, & seminariorum erectio, vt diuinissimũ omnium diuinissimorum sit litteris, & educationi adolescentium, & saluti animarum cooperari. Sed quæ Dei facultas? audi. Dei facultas: sub figuli typo describitur: venit enim saluare, quod perierat, & conuertens pedibus rotam Euangelium præsignantem, quod

fractum erat, in pristinã reduxit formam. Sed si, referente Plinio lib. 35. c. 12. Numa Rex Collegium figulorum instituit, Ignatius spiritualium figulorum Collegia erexit, ad peccatores, qui dicunt, *Facti sumus sicut vas perditum*, reparandos. Ad quod conuersionis munus, & tenellę iuuentutis rectam educationem õnem curã, industriam, laborem dirigunt. Hórum figura in veteri testamento præcesserit, nã de Iosaphat legitur, quod tertio anno regni sui misit de principibus suis Benhail, & Obdiam, & Zachariam, & Nathanael, Micheam, vt docerent in ciuitatibus Iuda, & cum eis Leuitas Semeiam, & Nathaniam, & Zabadiam, Phasael quoque, & Semiramoth, & Ionatham, Adoniamque, & Tobiam, & Thobadoniam Leuitas, & cum eis Elisama, & Ioram Sacerdotes, docebantq; populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas vrbes Iuda, atq; erudiebant populum. Non est cur illud obijciatur Isaiæ 33. Vbi est litteratus, vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum? passim enim tibi occurrent doctissimi Theologi, Scholastici, Scripturarũ Interpretes, vt si curiositatem explere cupias Scriptorum Societatis, in prõptu habeas Ribanderiam de Script. Societatis. Præter hos sunt etiã inferiorum artium Magistri, & paruulorum doctores, propter eum, qui sapientiam præstat paruulis, & paruulus pro nobis factus;

2. Paralip. c. 17.

ctus est, ad rudimenta prima edocenda se demittentes. Gloriam Libani in S. Ignatio pariter intueor, propter odoramenta bonæ famæ, & exemplorũ, quibus suauissimè fragrãt tanti parentis sectatores. Sed ex alio titulo in eo gloriã Libani aspicio, nam etsi ex instituto dignitates Ecclesiasticas accipere recusẽt, nihilominus Apostolica Sede iubente, easdem ex obedientia acceptant. Duos viros insignes diebus nostris vidimus in S. R. E. Collegio coaptatos, Franciscum Toletum (quem eius olim præceptor F. Dominicus Soto prodigium solebat appellare) alterum Robertũ Bellarminum, Fidei athletã robustissimum olim Capuæ Archiepiscopum, vt meritò nouum Antonium in subleuandis pauperibus, in vitæ perfectione Basilium, in confutandis Hæreticis Irenæum, à diuina prouidentia déstinatum dixeris. Plures galero insignitos vidisset parentum nostrorum ætas, ni Beatus Borgia, Antonius Corduba, Lainus, & alij de se humiliter sentientes, modestè non reluctassent. Episcopos & Patriarchas multos quoque legimus, non tam ad honores delectos, quàm ad onera vineæ Dominii in Indorum cultura consecratos, qui forma facti gregi nouo, opus

2. p. hist. Iesuit. lib. 2. p. 153.

Dei mirificè promouerunt.

Sed & mons Libanus aurea mala citrea, alioſq; fructus, & plantas producit, ex quibus ſuauiſsimus euaporat odor, vnde in Cant. 4. ſponſa ſic commẽdatur, *Odor veſtimentorũ tuorum ſicut odor thuris, nardus, crocus, fiſtula, cinnamomum, cum vniuerſis lignis Libani.* Nec diſsimiliter ob virtutum fragrantiã eadem deſcribitur odorẽ ſpirans. Pſ. 44. *Myrrha, & gutta, & caſsia à veſtimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.* Domus eburneæ, palatia eburnea, ait Iſidorus lib. 15 & ampla tecta dentium *ora ſunt, & linguæ Catechiſtarum, & Concionatorum, è quibus tanquam è Chriſti Regis noſtri inſtrumentis prodeunt, cum doctrina, honeſtarum actionum exempla ſuauem exhalantia odorem:* quæ paſsim cùm in huius ſancti inſtituti concionatoribus, catechiſtis, & alijs operarijs inſpicias, dicas neceſſe eſt. Gloria Libani data eſt Sancto parenti Ignatio. O vitem abundantem, ò fructiferam oliuam, ò Libanum omni amœnitate refertum, ò nouiſsimos operarios in vineã Domini cõductos à patrefamilias, qui non imparem in eccleſia laborẽ pertulerũt quàm priores agricolæ portantes pondus diei, & æſtus. Deerat tertius collabentis mundi ſuſtentator, & de duobus prouiſum erat Dominico, & Franciſco, qui manus diuinas tres in orbem

sagittas iacentes (sic visione, cum ordines Prędicatorum, & Minorum instituendi erãt diuinitus ostensum est) restringeret. tertius superat ad tertiam sagittam reparandam. en S. Ignatius. & sicut Deus Dominicum, & Frãciscum tanquam sagittas electas destinauit, vt sagittarent corda inimicorum Regis, è diuina pharetra sagitta tertia emittitur, Esaiæ vaticinium completur. *Mittam ex eis, qui saluati sunt ad gentes in mare in Africam, & Lydiam tendentes sagittam, in Italiam, & Græciam, ad Insulas longe ad eos, qui non audierunt de me.* Cap. 66. Vnde hos tres ordines ijsdẽ pene institutis Dominus voluit colligari, vt vberem messem reportarent, non tantùm fæces Israèl conuertendo, sed salutem Domini, & lucem gentibus, adducendo vsq; ad extremos terræ, Antipodes conuertendo, occidentales, & orietales Indos lustrãdo; vt verè impletum sit de his præcipuè tribus ordinibus, quod dicit Esai. c. xi. *& volabunt in humeros Philisthiim per mare sicut prædabantur filios Orientis.* Liceat vaticinium Viri Apostolici. S. Vincentij Ferrerij coronidis loco sanctę societati adaptare. *Tria*, ait S. iste, *sunt nobis singulariter, & quasi assiduè meditanda. Primùm, Christus crucifixus, incarnatus. Secundùm, status Apostolorum, & Fratrum præterito, tum nostri ordinis, & hoc cum desiderio, vt illis cõformemur,* In libello de vita Spirituli

memur. Tertium ſtatus virorum euangelicorum futurus, & hoc debes die, noctuq; meditari, ſcilicet ſtatum pauperrimorum, ſimpliciſsimorum & manſuetorum, humilium, & abiectorum charitate ardentiſsima, ſibi coniunctorum, nihil cogitantium, aut loquentium, nec ſaporantium, niſi ſolum Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum, nec de hoc mundo curantium, ſuique oblitorum, ſupernam DEI, & Beatorum gloriam contemplãtium, & ad eam medullitus ſuſpirantium, & ad inſtar Pauli dicentium; Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, & innumerabiles, ac inæſtimabiles theſauros diuitiarum cœleſtium, & ſuper dulces, & mellifluos riuos diuitiarum, ſuauitatum, ac iucunditatum, & ſuper omnia mirabiliter expanſos, & ſuper infuſos, & per conuerſationes imaginari debes eos ipſos, vt cantantes canticum Angelicum cum iubilo citharizantium in citharis cordis ſui, hæc imaginatio ducet te pluſquam credi poteſt in quoddam impatiens deſiderium aduentus illorum temporum. Hæc ille, qui omnium ordinum, & inter eos florẽtis vineæ ſocietatis Apoſtolicorũ virorum ſaluti animarum inſiſtentium œconomiam, fragrantiam, ſpiritu prophetico viſus eſt (vt dicunt aliqui) deſcribere, Scio (vt dicit Orlandinus) de hoc oraculo magnã extitiſſe controuerſiam, an de viris huius incljtæ ſocietatis intelligendum eſſet, & Patres ipſos rogatos, quâ erant modeſtiâ, non ſibi illud attribuiſſe, verùm, vt ponderat idem Pater Orlandinus. *Electorum eſt proprium*, vt dicit Greg. *de ſe ipſis ſemper infra ſentire, quam ſunt*, & ſubdit Orlandinus

Orlan. lib. 2. num. 56 Viegas in Apocalyp. in c. 5. ſectio. 5. 84. mir. c. 87.

landinus. *Vtinam talis euadat posteritas omnis, vt in eam vsquequaque Sancti viri predicta conueniant.* quam perseuerantiã in illis, & nobis ab eo, qui dat velle, & perficere precamur obnixè, vt sublimitas sit virtutis Dei, & qui gloriatur in Domino glorietur. *Fallax equus ad salutem in abundantia virtutis suæ non saluabitur.* In Psal 32 hoc est (vt dicit Augustinus) qui aliquid putat esse *in se, & per se.* & non vult, quod Deus sit firmitas, spes, adiutorium, & finis, in quo requiescat.

## CAPVT XXXI.

### Quod flores, & fructus deploratarum vinearum omnia scandala, quæ obijci possunt à pusillis, & malis laicis absumunt; & maior sit numerus obseruantium Regulas, quam impudentium transgressorum.

VTINAM appenderentur peccata, & scandala ista (quæ omnibus nota asseruntur) ex vna parte, ex alia vero calamitas hoc est austeritas, labor vigiliæ) quasi arena maris hæc grauior appareret. Fructus à tot viris, egregijs reportati; vel meritorum saltẽ triticum, cum immensa palea de aristis excus-

sa, iusto libramine ponderetur, certè hęc prę-grauantia, culpas, quæcunque afferantur, al-leuiabunt. Totus deploratorum cætus cum vniuerso laicali statu conferatur, sanior certè pars est religiosorum, quàm laicorum. Si sal vniuersum infatuatum fuerit, in quo salietur? Si vniuersus religiosorũ ordo corruptus, quo-modo *lingua sapientum sanitas est orbis terręs* quo-modo vulnus, & plaga tumens, & vlcerosa pars, medelã reportare possent, non existen-te in maiori portione sana, religiosorum par-te? rectè scripsit Chrysostomus. longe plures videas lapsos ex coniugatorum ordine, neq; enim tam multi ex monasteriis ad matrimonia (hoc est sacrile-gas, & in cæstas nuptias) accendur, quàm ex iugali thoro se ad scorta recipiunt. & infra, peren-nis amor, & deliciarum, ac potentiæ ceterarumq; re-rum desiderium, facilius ab his, quam à secularibus vin-ci, subigique consueuit, & infra, in vita seculari plu-ra sunt, & pariora naufragia, quod, & plura sint, quæ perturbent, & qui eam vitam degunt negligentiores, atq; adeò inualidiores sint, quam vt aduersus eas stare possint. In Monachorum, autem vita profecto, & fru-ctus tanti non sunt, sed contra penitus serenitas sum-ma, & tranquillitas, & studium longe excellentius ad-uersus eam fluctuum rabiem pugnatorum. Religio-nis dignitas, & pulchritudo id patitur, quod minima ruga faciei, obseruatur, candidi vesti-

Lib. 3. ad-uer. vitup. vitæ Mo-nast.

menti

menti minima labecula fit conſpicua, vbi ſecularis ſtatus, nec cicatrices, nec maculæ inſpiciuntur. Sed ſecundum proportionē Aritmethicā, iuxta proportionem duodenarij numeri Apoſtolici chori, in qualibet monachorum decade, vnus Iudas, vnus ſcandaloſus deſignetur, ſi exēpli gratia cum triginta ferme millibus, qui ſub S. Dominici caſtris militent, tria millia (quod non eſt poſsibile) ſcandaloſorum hominum comparentur, certè viginti ſeptem millia præponderabunt, & maior hic numeris minorem abſorbebit, non ſecus Oceanus pauculas guttas: vnde nec ex tribus millibus corruptus ordo dici poteſt, cum maior pars integra, & ſanior perſeueret.

Non eſt vinea iſta religioſorum, ſicut vinea illa viri ſtulti à Salomone deſcripta, quā totam repleuerant ſpinæ, & vrticæ, cum tot flores delegerimus, cum tot fructus collegerimus. Et ſi quæ ſunt ſpinæ, diuinitus permittātur, vt diuini amoris, vel iudicij æterni conſumentur incendio, quatenus Sanctorum terra ipſa ſua cinere ſaginata pingueſcat, & poſt diutinam diritiem tenera reddatur, & mollis, & fœlici ſulco ad fructus maiores, & vberioris feracior habeatur. Dum autem virent, vel

etiam si in ramnos ipsæ spinæ vertantur, rectè dixit quidam. Nihil de aliorum sanctitate deperire, quoniam nonnulli in his inueniuntur non sancti. Quinimo si recte consideremus, plus etiam aliquanto hoc valet in religionibus. Etenim si Ecclesia cum plures sint mali, & qui per spacioſam, laramque viam, quam per anguſtam ingrediantur, tamen tota pulchra, totaq; Dei amica appellatur, quanto magis hic idem honor sacris hisce institutis debetur, in quibus tam multi boni sunt, ceteri tam pauci, tamq; rari. hæc ille. Præclarè S. Auguſt. in psalm. 47. illam vocem impiorum dicentium, quod in Ecclesia, Vix inuenitur vnus, vel duo, sed pauciſsimi boni, sit confutat. Non audiam⁹ tales voces, ne putemus paucos esse istos; multi sunt, sed inter plures latent. Non possumus enim negare plures esse malos, & tàm plures, vt inter eos prorsus boni non appareant grana in area. Nam quisquis aream videt, potest putare, quod palea sola sit. Da hominem inexpertum, & putat inaniter fieri, quòd boues mittuntur, quòd ibi homines sub æstu desudant, vt cõterant paleam: sed ibi est massa ventilatione purganda. Tunc procedit copia frumenti, quæ latebat in copia palearum, & modo vis inuenire? Bonus esto & iuuenies. & postea exponens illud. Circumdate Sion, & complectimini eam, ait, Nolite scandalis obiectis circundare, sed charitate circundate, vt qui bene viuunt in medio vestrum, eos intuemini, & eorum imitatione Christum, cuius membra sunt, in corpore complecti, mini. & postea illud exponens, & distribuite domos eius subdit, tunc autem distribuitis, & non con-

Platus lib. 3. de statu relig c 15.

fuditis

funditis, quãdo corda vestra in virtute eiꝰ ponitis; idest; cum facti fueritis per charitatem spirituales, tunc temere non iudicabitis tunc videbitis nihil obesse bonis malos; quandiù sumus in hac area, distribuite domos eius Hanc S. Augustini doctrinam attendens detractor male laice de scandalis Religiosos non taxabis.

Sed superexcedant spinę fructus,& flores exuperent, an tu vniuersos etiam Chananæos (Viros seculares intellige) Abrahę vni anteponesꝰ an Madianitas Moysiꝰ quid an trecentos illos, qui cum Gedeone forti animo lamberunt, tot hominum millibus pedes referentibus, inferiores esse contendesꝰ an vernas Abræ numero, haud multo plures, multis illis Regibus atq; innumerabilibus copijs, quos (tametsi pauci essent numeroq; longe impares) persecuti sunt tñ, atq; infugam verterunt. Illud autem quomodo intelligendum esse censesꝰ si fuerit numerus filiorum, Israel vt arena maris, reliquiæ saluę fient? Quomodo autem illud ꝰ Reliqui mihi septem millia virorum, qui non flexerunt genua ante Baal, non est ita, non inquam ita est. Non in pluribus beneplacitum est Deo; tu quidem myriades numeras, at Deus eos, qui salutem consequẽtur. Tu infinitum puluerem, ego electionis vasa

Ex Nazianzen. orat. ad 150. Episcop.

Spiritum certè ponderator est Dominus, & multi ad spinas, & paleas, qui relaxatè viuunt pertinere videntur, quos tamen vt lilia, & aristas colligenda prædestinatio diuina designat. Vnde illis sponsus dicit, *equitatui meo*

*asinio*

*asimilaui te in curribus Pharaonis*, ac si dicat, esto sint in religione multi filij tenebrarum, ad huc (dicit S. Thom. in cant. c. 1. illud exponens) Ego asimulaui te equitaui meo, qui attendi, quid prædestinationis inte fecerim, equis meis te comparaui. Videt .n. Deus multos adhuc deditos luxuriæ, adhuc auaritiæ seruientes, & tñ attendit in secreto iudicio, quid iam de istis operatus est, quia habet equos Deus, sed multos adhuc videt Deus esse equos Pharaonis: & quia considerat ex occulto iudicio, occulta prædestinatione ad bonum commutandos, similes illos attendit iam equis suis, quia videt illos ad currum suum ducendos, qui prius in curru Pharaonis deseruiebant. Vbi considerandæ sunt occulta iudicia, quia multi videntur per prædicationem, per sapientiam, per largitatem equi Dei esse, & tamen occulto Dei iudicio equis Pharaonis asimilantur, quia illos videt de malis, ad bona verti, & istos videt de bono ad malos reduci.

Secundùm autem præsentem iustitiã scãdalosos quosuis, quomodouis, & quãtumuis enumeret malus laicus. Quam multi sunt, qui vel saltem exterius seruant, quę votis promiserunt, & disciplinam regularem in suis institutis seruant, ex quibus interior perfectio potius demonstratur, quam dissolutio arguatur? & mensus est, Angelus ille apud Ezech. cap. 40. Latitudinem à faciè portæ inferioris, vsque ad frontem atrij interioris extrinsecus centum cubitos ad Orientẽ, & ad Aquilonem. Quid hoc ait Gregorius Hom. 18. in Ezech. Quia

Redem-

Redemptor noster, quotidie per magistros, atq; doctores in mensura perfectionis metitur vitam fidelium, vel in specie boni operis per fidem, vel in sanctis desideriis, per contemplationem. Multi .n. videntur in fide positi magna operari sed in centum cubitis non mensurantur, quia ipsi per ipsa quæ faciunt terrenã gloriam quærunt. Et quidam videntur per abstinentiam cruciari, gemitibus insistere, sed eorum mensura ad centum cubitos minime ducitur, quia in his, quæ agunt ab humano iudicio fauores requirunt. Quis ergo est, qui per cẽtum cubitos mensuratur, nisi is, cuius bona operatio recta intentione vtitur, vt in eo quod agit, non ad terrena lucra appetenda, aut ad laudes transitorias reflectatur. Ecce, n. misericordiam proximis exhibere, possessa largiri, cum celeritate indigenti tribuere, latitudo in facie portæ inferioris est, sed si tua dans aliena non appetas, si terrenam gloriam de ipso bono opere non requiras, rectè in centenario numero, idest in perfectione mensuraris. Nam qui videtur dare misericorditer propria, & rapit forsitan violenter aliena, iste adhuc quæ sit via perfectionis ignorat, nec cognouit vnde ad perfectionem tenditur, quia nec ipsum eius intuitum inuenit. Prius enim appetitum euellere à mente debuit, & postea quæ iure possidet largiri. Vnde scriptum est Declina à malo, & fac bonum. Quid enim potest esse boni, quòd facit, qui nec dum à malo declinauit? & sunt quidam, qui sicut dictum est ab alimentis abstinent, carnem cruciant, sed tamen si pulsati fuerint cognoscantur, quia ad mundi gloriam anhelant. Isti frontem atrij interioris ostendunt, sed per centum cubitos non mensurantur. Hi ergo in numero perfectionis sunt, de quibus per Paulum dicitur, carnem suam crucifixerunt

cum

cum vitijs, & concupiscentijs. Et notandum (subdit Gregorius) quia non dicitur, quod intrinsecus, sed extrinsecus ista mensurantur, quia vel. Redemptor noster, cum per nos facta hominum, vel approbat vel iudicat, non intrinsecus metitur. Vnde per Euangelium dicit. Ex fructibus eorũ cognoscetis eos. Quia enim per hoc, quod videmus cognoscimus operantis animum, quem non videmus, siue latitudinem, quæ in facie portæ est inferioris, siue frontem atrij interioris extrinsecus metimur: cum enim alios conspicimus largiri eleemosynam, afflicto occurrere, oppresso subuenire, nihil in hoc mundo gloriæ quærere, nullis huius vitæ compendijs inhiare, atq; alios videmus carnem domare, lachrymis insistere, verbis cœlestibus occupari, nihil transitorij honoris appetere, quid aliud debemus, nisi eos perfectos credere, sanctos æstimare? Quia ergo, per hoc, quod aspicimus eos perfectos esse videmus, eorum vitam per centum cubitos extrinsecus metimur? Sed nunquid est numerus militum DEI? in quacunque congregatione habes perfectos, ad quorum exemplar vitam tuam possis detractor laice informare. Quod si admixtos ibi videas malos, diligenter caue, ne pes superbiæ, hoc est primus motus, te inuadat, si super alios extollaris. Non magnopere (dicit tibi Bernardus) cogites, quæ tibi videris habere, nisi fortè interdum, vt gratias agere possis, & te noueris debitorem ei, qui dedit sui gratia consolationis, cum id necesse fuerit, ne qualibet ex causa iustior fias, de cetero ea semper attende, quæ alius habet, tu non habes, quod

Ad Fratr. de Monte Dei.

hæc

hæc cogitatio in humilitate te custodiat, & à descensu tepiditatis elongęt, magis autem, & accendat desiderio proficiendi. Vide autem quantum è regione mali cogitatio illa parturiat, qua sedulo versaris in animo, quod tibi habere videris, & alterum quempiam existimas non habere. Hinc enim eleuaris in superbiã, dum te præponis alteri. Hinc proficere negligis, dum te magnum quempiam arbitraris. Hinc demum incipis deficere, dum tibi alterius comparatione etiam nimis egisse videris, sicq; in tepiditatem incidis, & incipis remissius agere. scimus autem, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, &c. Hæc cogita si superbiæ motibus pulseris, & super alium non inflaberis.

## CAPVT XXXII.

### De peculiari prouidentia erga Religiones SS. Benedicti, Dominici, Franciſci, &c. & de amicabili collocutione Turturis, vt inuicem sint colligatæ ad seruandum vnitatẽ spiritus in vinculo pacis.

SED defecerit Sanctus de Religionibus, & rectus in eis non sit, & qũiuis sit paliurus, vel spina de sepe; an præcidendæ sunt radices? an botrus relictus ex vindemia dissipandus? si tribus Beniamin deleta esset, quã-

do ex hac Paulus prodijſſet? ſi impiorum illorum Regum (quorum ſeries in genealogia Chriſti Domini texitur) progenies deleta eſſet, quando ſicut ſpina roſam produxiſſet Iudea Mariam? Radix ſancta eſt, alicubi rami fracti non deſperandum, *potens enim eſt Deus iterum inſerere illos*, vel alios germinare faciet, *dicis ergo, fracti ſunt rami, vt ego inſerar.* Bene, vide ergo bonitatem, & ſeueritatē Dei &c. ſi permanſeris in bonitate alioquin, & tu excideris, & alios inſeret, ſic enim ſapienter Hæreticos vrgens Illuſtriſsimus Bellarmin. ſcripſit, cum omnis ordo initio feruear, ac multos homines exciter ad pietatem, paulatim autē poſtea feruorem illum remittat, Deus ſubinde nouos ordines excitando, quaſi perpetuo feruorem in eccleſia, nunc per hos, nunc per illos conſeruat. Certè ſi quis legat vitam, & res geſtas Sanctorum Antonij, Benedicti, Bernardi, Brunonis, Dominici, & aliorum, qui, aut nouos ordines inſtituerunt, aut veteres, iam pene collapſos reſtituerunt, is fatebitur eſſe veriſsimum, quod diximus de mirifico ardore in ſtudium pietatis, & multorum hominum conuerſione à peccatis ad Deum per nouos ordines religioſos. Interim gaudemus de aliquorum virore, docemus de aliquorum ariditate. Non audemus, ſicut nec dicere debemus totum cætum noſtrum eſſe verum, & viuum membrum gementis eccleſiæ, *nam fides*, ait Conc. Trid. *niſi ſpes accedat, & charitas, neque*

Ad Rom. cap. 11.

Lib. 2. de monach. c. 4. tom 2 contro.

Sess. 6. c. 7.

*vnit*

*vnit perfecte cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit.* at quis dicet cætum aliquem, vel vniuersum religiosorum, totum esse viuum mẽbrum ecclesiæ, nisi totum charitatem habere dicat? at quis id etiam affirmabit? sanctum dicere possumus ob sanctitatem multorum membrorum sanctorum, quæ in omni societate religiosorum sunt, à quibus tota communitas sancta dici, & denominari potest, membrum viuum dici non potest, ne mẽbra mortua, quæ inquacunq; societate religiosorum sunt secludi videantur à religiosa communitate. Vnde & ipsa Ecclesia dicitur corpus Christi, quod viua, & mortua membra hoc est bonos, & malos comprehendit, non dicitur viuum membrum, ne peccatores fideles vera membra, mortua tamen, excludi videantur. Propter ergo membra mortua, quæ in quacũque congregatione sunt imperfectos nostros Fratres clamamus ad Dominum. *Ecce respice populus tuus, omnes nos. Ciuitas sancti tui facta est deserta. Sion deserta facta est. Hierusalem desolata. Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.* Es. 64.

*Numquid superbis continebis te Domine tacebis, & affliges nos vehementer?* Sed quomodo Deus ge-

mentem turturem de futura succesione, & populorum profectu consoletur audiamus (Hæc dicit Dominus) Quomodo si in-

Es. 65. ueniatur granum in botro, & dicatur, ne disipes illud, quoniam benedictio est, sic faciam propter seruos meos, vt non disperdam totum, & educam de Iacob semen, & de Iuda possidentem montes meos, & hereditabunt eam electi mei, & serui mei habitabunt ibi, & erũt campestria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requisierunt me. vt nõ tantum quotidianis incremẽtis videatur pro-

Supra oratione ad 150. Epist. grediens, & vt verbis Nazianzeni vtar, de suo grege loquentis, etiam, vt auguror sit progressurus. Hoc nihil vaticinatur Spiritus sanctus, si quid vaticinandi arte valeo, futuraque prospicio, ac simul ex ijs, quæ præcesserunt spem non dubiam concipio, atque vaticinatione id percipio, vtpote rationis alumnus. Multo, n. mirabilius videri debet, quod ex tantillo, ad tantam magnitudinem peruenerit, quàm vt ex statu, in quo nunc est ad summum splendoris, gloriæq; verticem prouehatur, & infra idem S. loquitur. Ac proinde, qui exasperant (si fortasse sunt) non exaltentur in semetipsis, nec vmbram, aut somnium expergescentium, aut auram perflantem, aut nauis vestigia impressa tenentes, quicquam propterea se habere existiment, &c. ex aliorum calamitate sibi documentum capiant, atque discant pauperem nequaquam in finem vsque obliuioni fore; &c. Quin illam quoque eius, qui contritos colligat, atque oppressos suscipit, vocem inquam mihi audire videor. dilata ad huc locum funi-

culorum

culorum tuorum, extende ad dexteram, & ad siniſtram, fige, atq; ne parcas. Claræ ſunt Dei promiſsiones promittentis has tres præcipuas religiones in Eccleſia perſeueraturas, de Benedicti ordine ſic habetur in ligno vitæ lib. 1. cap. 1. omittendum hic non videtur oraculum illud celeberrimum, quod diuinitus ad S.P.N. Benedictum factum fuiſſe perhibetur, ex monumentis Monaſterij Inſulæ Lerinenſis, cuius oraculi fama per totum iam orbem vagante monaſticus ordo, non modicum lætificatus eſt. Quod ordo ſuus videlicet vſq; in finem mundi ſtabit. Quod in eius fine pro Eccleſia Romana ſtabit fideliſsimè, & plurimos in fide confortabit. Hæc ibi.

De Sancti Franciſci familia audi cœleſte oraculũ eidem pro illa, oranti deſuper emiſſum. Quid turbaris Franciſce, aut quid angeris, cum tuorum fratrum quiſpiam, vel ordinem deſerit, vel in ordine ſcandalũ concitat? An forte exiſtimas ita te rectorem huius gregis conſtitutum, vt non me intelligas ſuperiorem eius eſſe rectorem? Quis eum plantauit niſi ego? aut quis præter me homines ad pœnitentiã vocat, vel vocatis perſeuerãdi vires ſuppeditat? ego eos produxi, ego retinebo, & ſeruabo, ego illis cadẽtibus, alios erigam, atq; ſubſtituã. Quamobrẽ hoc tibi planè præcipio, ne in poſterum adeo diſcrucieris, ſed ſcias hanc à me familiam diligi, at ſi vnus ad vomitum redeat, me in eius locum alterum excitaturum, vt naſcatur, qui illius coronam accipiat, iſque ſi non dum natus fuerit, effecturum vt naſcatur. Quod ſi tres tantum in ea permanſerint eo ipſo nunquam eam deſeram, ſed erit hæc ſemper familia mea.

Apud Platum de ſtatu viri relig. c. 33. lib. 1.

De Sancti

De Sancti Dominici familia, quod in posterum etiam florebit diuinitus S. Matri Theresiæ reuelatum est, vt scribit Pater Ribera Societatis Iesu his verbis ex Hispanico sermone in latinum versis. De Religionibus magna vidit, cum ante Sactosanctam Eucharistiam oraret apparuit illi Sanctus quidam ex ordine S. Dominici magnũ volumen in manu habens quod aperuit, & ad legendum aliquas litteras magnas, & intelligibiles inuitauit, quæ hæc exprimebant, videlicet. lib. 4. c. 5.

Futuris temporibus hic ordo florebit, multos habebit Martyres. Eiusdem ordinis sex, vel septem vidit, districtos gladios in manibus habentes, ex quo intellexit, hos pugiles fidei futuros. Etiam alias orans in spiritu rapta campum amplissimum vidit, multi prælia, bantur, & viri eiusdem ordinis feruenter manus conferebant, vultus eorum miram pulchritudinem, & propemodum ignitam speciem præseferebant, multos victos prosternentes, alios occidentes Intellexit hoc certamen contra Hæreses susceptum

Futurum quoque fructum maximum strenuorum militum Societatis Iesu, qui ad defẽdendam Ecclesiam, ipsi quoque hac miserrima ætate diuinitus missi sunt vberem messem inferentes in horrea Domini, eadem Virgo præuidit; rapta enim (scribit idem auctor) In cælo vidit multos huius sanctæ societatis vexilla alba in manibus gestantes, vnde admiranti, & lætanti de huius instituti, quod summopere diligebat etiam futuro progressu dixit ei Dominus noster IEsus Christus.

O si sci-

O si scires, quam in futuris temporibus Ecclesiam iuuabunt.

Sisto gradū, & præ lætitia gestiens, ex nouis nobis adiunctis commilitonibus clamo, Eia milites Christi induamur arma lucis, qui ad defendendam Ecclesiam sumus destinati. Soror nostra es ò sancta Societas, crescas in millia, arctissimo vinculo charitatis nobiscū es colligata, vt solus habitus distinguat, quos idem finis, & propositum indiuisos facit. Recole quod S. Ignatius Loyola tuus fundator, & Princeps postquam seculari militia relicta, atque mundi pompis abdicatis in Dei militiam se tradidisset, atque ad salutem animarū promouendū totum se contulisset, suos quos cōdere volebat canones ex regula Monachorum protoparentis Benedicti, tanquam flores decerpsit, eiusdemque S. Benedicti institutis suos informauit, Casini enim degēs mōtem illum contemplationis aliquot mensibus inhabitauit, ibiq; velut alter Moyses, & Legislator secundus, religiosorum legum tabulas fabricauit primis non absimiles, exercitia quoque spiritualia; quæ à diuino illo institutore Gallo Ioanne Clanonio apud Monserratum Cænobita Benedictino partim didicerat, P. Ordin. lib. 1. n. 17. &

partim

23. Histor. socie. partim vsu, & exercitatione notarat, maximo animarum fructu cõposuit,& euulgauit. Recole quod Dominicanorum familia ab initio suæ institutionis iubente Magistro ordinis Fr. Francisco Romeo arctissimo vinculo charitatis tibi est colligata. Nam & si Fr. Melchior Canus ille Magister insignis latrarit expauens ad tunc recens tuum institutũ; cum esset Dominicanus canis functus est officio, nũquam oblatrauit tamẽ, non dum enim erat eo tempore ab Apostolica sede confirmatum, vnde zelus eius incusandus non est,sed excusandus: commedenda vero plurimum charitas B. Ioannis Micõ, & Fr. Ioannis de la Penna (quorum reminit Orlandinus) qui ab obtrectatoribus te defenderũt; sed præcipuè fratris Ludouici Granatensis, pietas laudibus efferenda, qui ex eodem Orlandino dixit. Nouellũ Christi cœtum à Deo destinatum ad veterem sanctitatem renouandam. Recole, quod pius V. Dominicanus multa tibi priuilegia concessit. Fr. Mattheus Ori inquisitor Sanctissimi Patriarchæ tui innocentiam tui innocentiã testatus est, atque aduersus impios defendit. Fr. Bartholomeus Carranza Archiepiscopus Toletanus Toletum Societatem per be-

Apud Riband. in P. vita S. Ignatij.

Lib. 14. n. 20.

Lib. 11. n. 69.

P. 2. Hist. l. 2 n. 139.

nedi-

nedictam aduocauit. Generalia capitula Dominicanis iniungunt, vt omnes FF. Prædicatores cunctos fidei commilitones diligant, præcipuè Patres Societatis. Hanc dilectionẽ in fœderis signum, & mutuæ charitatis Franciscana Religio opere demonstrauit, quanta enim fuerit FF. Minorum erga vestros beneuolentia in Monte Regio in Galeciæ Regno monumentis ijdem Patres Societatis consignarunt. Pater Fr. Laurentius Brundusinus Capuccinus Cosentiæ vestrum Collegium erigi procurauit, & obtinuit, cum ibi Quadragesimales conciones haberet. Vicissim vero non pauci, ex tuis scholis, congregationibus, ad Religiosorum nostrorum castra conuolarunt, vestrorum exemplis satis ditati, & locupletati. Stemus simul, & nullus aduersarius prævalebit, maior nunc debet esse connexio, cum iam sanguis sanguinem tetigerit in illustri apud Iapones martyrio, quando Pater Ioannes Baptista Societatis Iesu cum Patre Fr. Petro de Assumptione ordinis Sancti Francisci, & Pater Fr. Hernandez de S. Ioseph ordinis S. Augustini, & Pater Fr. Alphõsus Nauarrette ordinis Prædicatorum, truncatis capitibus pro Christi fide torrentes san-

In Gener. Cap. Neap. 1600.

Orlandin. lib. 16. n. 45.

In artic. Beatificd.

Ex Reuerendissimo Lopez in P. Hist. S. Dominici.

guinis instar quatuor fluminũ Paradisi ab vnõ charitatis Dei, & proximi, sine qua, nec martyrium prodest, fonte emanantium hoc meruerunt, vt eadem tessera dilectionis, & fidei & mutuæ beneuolẽtiæ vincti, fortius, vt hucusque fecimus, præliemur bella Domini.

Chrysol. de pace hom. 55. Seruemus ergo fratres mandata, quę vitę sunt; teneat se profundę pacis nexibus, colligata fraternitas, & salutari vinculo charitatis, mutua se dilectione constringat, quę operit multitudinem peccatorum. Fratres vt cum eodem Chrysol. loquar. Lex est data non vni, sed omnibus, Christus non pro vno nec ad vnum, sed ad omnes, & pro omnibus venit, vt reintegraret omnes, in vnum solum bonum, solum iucundũ.

Ser 125.

Propheta futuri præscius sic proclamat. Ecce quã bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Quia Deo non singularitas est accepta, sed vnitas, Spiritus sanctus Apostolis in vnum congregatis vbertate tota sui fontis illabitur &c. *Quamobrem*, locum non demus inimico, ne in tritici segete valeat seminare zizania, & securo iam rustico, & spe longi laboris eluso, expectatos fructus ipsa messis maturitate perdat, aut vinum vetustate suaue in liquore perfidiæ demutatum, infusa fecis permixtione conturbet, aut inter dulcia mella, felle venena amariora confundat. Procul contentiones, procul lites, procul maledicta mittantur. quæ si quando per factiosos pusillos, & malos detractores laicos excitentur, aut amplientur, comprimantur.

Serm. 55.

Vigilel-

Vigilemus, nam vt egregiè ponderauit Ambrosius. Vigilant tentatoris insidiæ, vt vbi proficit deuotio subrepat elatio, & vt homo de bono opere in se potius, quam in Domino glorietur. Sed solicitudo nos Apostoli contra hoc periculum monet dicentis, cum timore, & tremore vestram salutem operemini, Deus enim est, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate. Quanto ergo excellentius in mandatis Dei quique proficiunt, tanto maiores habent causas formidinis, & tremoris, ne de ipsis probitatis argumentis mens sibi bene conscia, & laudis auida in superbiæ rapiatur excessus, & fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute, *sed contra hoc periculum, quid B. Petrus in prima epistola prædicet audiamus.* Si quis (*inquit*) loquitur, tanquam sermones Dei, si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria, & imperium, in secula. AMEN.

Lib. x. ep. 84.

Phil. 2.

1. pet. 4.

Hæc ille. Pro hac autem pace seruãda placuit huic opusculo inserere, quæ olim Generales ordinis S. Francisci, & S. Dominici suis fratribus scripserunt, plurimum enim ad omnium religiosorum pacem, & quietem seruãdam in vinculo dilectionis, & charitatis proderit; vt quod duabus religionibus pro pacis exemplari destinatum est, cæteris omnibus sit commune.

## CAPVT VLTIMVM.

# Epistola Paranætica Fr. Hũberti Magistri Generalis Ordinis Prædicatorũ; & Fr. Bonauenturæ Fidanza Ordinis Minorum Ministri Generalis, pro pace, & concordia Religiosorum.

## Anno Domini MCCLXXIV.

Ex Chronicis FF. Minorũ à Tussignano descriptis, & Fr. Herandez del. Castillo tom. 1. Chronic. S. Dominici.

Tempore Fr. Iordani Saxonis, vel vt alijs visum est Fr. Humberti Burgundi ex Vico de Romanis Generalis Magistri Ordinis Prædicatorum, & Magistri Bonauenturæ Ordinis Minorum Generalis.

## Argumentum Epistolæ.

ADmonentur Prędicatores, & Minores à suis Generalibus communibus, isdemque litteris, vt pari voto, & vnanimi conspiratione, se exerceant in concordia Ecclesię, quę per veram prędicationem, & probatę vitę exempla donis spiritualibus ditatur & augetur.

## Epistola.

CHarissimis, & dilectis in CHristo IEsu Fratribus Minoribus, & Prędicatoribus per vniuersum orbẽ diffusis, Fr. Bonauentura Fidanza eorundem Minorum Generalis Magister, & Fr. Humbertus eorundem Fratrum Prędicatorum, vniuersis salutem, in sancta vocatione dignè, & laudabiliter ambulare. Saluator sæculi, qui amat omnes, & neminem vult perire post

re; post primam humani generis ruinam, ad eandem reparandam multimoda remedia per ministros varios generationibus singulis adhibens incessanter; nouissime diebus istis in fine sęculorũ duos nostros ordines in ministeriũ salutis, prout indubitãter creditur, suscitauit, vocans ad eos viros non paucos, & ditãs eos donis cœlestibus; per quæ non solum suam, sed & aliorum efficaciter possent operari salutem verbo pariter, & exemplo.

Hi sunt (vt ad gloriam Dei loquamur, nõ nostram) dico magna luminaria, quæ lumine cæleſti sedentes in tenebris, & vmbra mortis vbique terrarum illuminant, & ministrant.

Sanctorũ Dominici, & Francisci laudes.

Hi sunt duę tubę veri Moysi Christi Dei nostri, quorum ministerio multitudinem populorum iam ad suum principatum conuocauit. Hi sunt duo Cherubim pleni scientia mutuo se respicientes, dum idem sentiunt, & alas suas extendentes ad populum, dum ipsum verbis, & exemplis protegunt, & discurrunt secũdum obedientiæ volatum, super omnem populum disseminare scientiam salutarem. Hi sunt vbera sponsæ, ex quibus paruuli in Christo lac sugunt, quo nutriantur, & augumẽta recipiant in salutem. Hi sunt duo filij oliuæ

splendoris, qui adsistunt dominatori vniuersæ terræ, prompti ad eius imperium, quocunq; voluntas eius eos duxerit suam legationem implere. Hi sunt duo testes Christi, qui sacris amicti iam prædicant, & testimonium perhibent veritati. Hi sunt illæ duæ stellæ lucidæ, quæ secundum sybillinum vaticinium habēt species quatuor animalium, in diebus nouissimis nomine agni vociferantes in directionem humilitatis, & voluntariæ paupertatis. Quid plura? Quis enim enumerare plenè valeat sacros binarios, qui his sacris ordinibus poterunt coaptari, dum digne, quæ ad suam vocationem pertinent exequuntur? Non caret autem ratione binarij huius productio, si quis excutiat diligenter. Noluit siquidem illa sapientia, quæ prudenter in certo numero cuncta fecit vnicum ordinem producere, sed duos simul, vt emolumentum, so-

Cur Deus plures ordines condidit.

cietate mutua, tam ipsis, quam alijs proueniat. Ipsis quidē cum in calore sancto sese mutuo confouerent, dum contra insurgentes se alterutrum adiuuarent, dum sancta emulatione ad meliora se inuicem prouocarēt. Alijs vero, quorum saluti daturi erant operam, dū virtus duplicata reperitur magis efficax in o-

pere

pere ſalutari, dum quod vni deeſſet, ex ſui perfectione abundanter reperiretur in altero, dum teſtimonium, quod perhibituri erāt veritati, ex ore duorum tanquam verius, & credibilius redderetur. Penſate, penſate, quātū debet inter vos dilectionis ſinceritas abundare, quos eodem tempore genuit Mater Eccleſia, quos ad id opus ſalutem ſanctarum animarum communiter operando æterna charitas ordinauit. Quos profeſsione in modico differentes, ſic aſsimilant, tanquā fratres nos intimi diligamus. Deniq; quomodo veri diſcipuli cognoſcemur niſi dilectionem habuerimus ad inuicem euidēter? Quomodo charitatem illam mutuam, quæ ante omniā ab omnibus eſt habēda, prædicationibus noſtris aliorum cordibus inſeremus, ſi læſa, vel deuians reperiatur in nobis? Quomodo ſtabimus contra tot perſecutiones imminentes, ſi inter nos perturbatione aliqua diuidamur? O quātum exemplum mutuæ charitatis, & pacis requirunt à nobis Patres noſtri B. Franciſcus, & B. Dominicus, ceteriq; Fratres noſtri primitiui, qui ſic in vita ſua ſe tenerè dilexerunt, tanquam ſincere charitatis indicia oſtenderunt, videndo ſe ſicut Angeli Dei, ſuſcipiendo ſe

Religioſorum ad inuicem dilectio diuinā monſtrat charitatem.

do se inuicem sicut Christum, honore inuicē prǫueniendo, in profectu mutuo cōngaudendo, altis se præconijs extollendo, vtilitates mutuas promouendo, fideliter à scandalis, & turbationibus alterutris cauendo, cum summa diligentia, & (quod antiquus vidit, & inuidit hostis) quanta efficatia populi, quanta vtilitas vestra, quāta materia glorificādi Deū, ex supradictæ charitatis glutino sequebatur.

Diabolus sæpe quærit inter Religiosos mutuā dilectionem perturbare.

Vidit hęc procul dubio, & inuidit Leo iratus, & conatur charitatem antiquam suis machinationibus perturbare. Cauete benedicti Domini, cauete, ne quando glorietur, & dicat. Prævalui aduersus eos: quia recedentes à patrum vestigijs, iam secundum assuetam non ambulant charitatem. Inueniat nos ille, tanquā viros virtutum sibi viriliter resistentes in defendendo pretiosissimam substantiam prædictæ charitatis relictā à patribus, & omni custodia obseruandam. Quod vt fiat implorandum est adiutoriū Altissimi, quod nunquam nos deserat contra hostem, & cauendū ab omnibus diligenter, quæ turbare possunt illam, quam ad inuicem habemus charitatem. Proinde cauēdum est, ne vestrum aliqui propriam adeo sequantur commoditatem, quod

Perturbet-

cum

cum graui turbatione aliorum loca, nimis notabiliter ei vicina recipiant. sed potius secũdum legem amicitiæ damnum proprium propter amicum diligant in hoc casu: & rursus cauendum, ne propter iniquitatem aliorum, alij sic se abominentur, quod hostilitas inter nos non fraternitas videatur. Cauendũ iterum, ne conceptum transeundi ad alterũ nostrorum ordinum, quem aliquis inuenerit in aliquo, debilitet, vel extinguat zelo ipsum attrahendi ad suum ordinem, sed potius inceptum propositum foueat, & confirmet. Item ne familiares, & benefactores alterius ordinis aliquis à sua deuotione audeat auertere, & ad ordinem suum conuertere, vt ad alterum ordinem deriuetur fructus deuotionis huiusmodi, qui alij proueniret. Item ne loca, quæ aliqui pro domibus construendis, accipere proposuerit præsentientes hoc alij cautè surripiant, alios excludendo. Item, ne eleemosynas, quas deuotio fidelium aliquibus facere proponit, alij impediant, vt ipsi habeant, sed potius cum intersunt testamentis, aut alijs negotijs, bona fide sint memores aliorum pias subuentiones alijs fieri procurando. Ité ne alij sermones impediant aliorum, vel audi-

tores subtrahant, aut ipsos sermones sibi subripiant alternatim. Quæ n. esset charitas subtrahere personas? subtrahere animos? subtrahere loca? subtrahere sermonem? quum secundum charitatis regulam, non quæ nostra, sed quæ sunt alterius (suadente Apostolo) quærere debeamus. Cauendum etiam ne quis vestrum sic Sanctos suos, sic statum suum imprudenter extollat, quod in aliorum depressionem laudes tales fieri videantur. Itē ne quis obloquatur de alijs, non solum in publico coram multis, sed ne clanculo coram extraneis, nec inter Fratres proprios in secreto. Item ne si siniſtrum aliquid alij sciuerint, alijs denudent, vbi nulla est vtilitas, nec fructus, sed potius sic culpabiles charitatiuè corripiant, vel ostendant correctoribus eorundem. Quis enim nesciat quantum per huiusmodi depressiones oblocutiones, Criminationes lædatur charitas, imo procul pellatur ab omni genere amicorum. Cauendū insuper, ne quis mala sibi relata de alijs facta, vel dicta vel iniuriam aliorū leuiter credat, vel huiusmodi inter Fratres suos referat, & referendo aggrauet, corda fratrum concitet, & sic eius charitatem concutiat, in quibus potius sue-

rat

rat confirmanda. Cauendum præterea, ne vestrum, aliqui si læsi fortasse fuerint, interdum ab alijs minus iustæ patientiæ, quæ de charitate producitur, obliti, sic suam extendant impatientiam, quod propter vnius, vel paucorum stultitiam contra alterius, siue aliorum fratrum innocentiã moueantur. Illud omnino cauendum, ne fratres, qui abhorrẽt hæc, & similia in alijs dissimulent, sed potius si tales, quos viderint in aliquo, zelo sancto succensi, statim fraterna correctione vtãtur, vel per illos, quorum interest corrigi faciant huiusmodi delinquentes. Illos autem, qui curam habent aliorum super omnes reprehẽsibiles iudicamus, si in prædicta correptione fuerint negligentes. Obsecramus ergo fraternitatem vestrã per charitatem, qui Deus est, vt ab huiusmodi, & similibus offendiculis, sollicitè præcauentes, sectemini diligenter, quæcunq; valere possunt ad pacem nostram, & mutuam in Domino charitatem, & indissolubilem vnitatem, scientes quod vterque nostrum pleno corde vult, & desiderat plenè hoc à suis subditis obseruari fideliter, & transgressores tanquam inimicos vnitatis, & pacis à suis correctoribus corrigi diligenter, & di-

gnè ſecundum ſuorum exigentiã meritorum.

Et proponimus circa correptionem huiuſcemodi opportuno tempore nõ inueniri deſides, vel remiſsi, ſed inuigilare, zelo non modico, & feruore. Hæc autem vobis omnibus, vt firmaremus, & incitaremus corda veſtra, de quorum bona voluntate plenam habemus fiduciam, ad id quod ordinibus noſtris cõmiſſis perutile reputauimus, ſuper materiam ſupradictam, in extremi iudicij examine, cum de vobis nos oportebit reddere rationem, noſtras poſsimus animas liberare.

Ne autem per ignorantiam, & obliuionem circa ſupradicta, Frater aliquis de Prouincia poſsit ſe aliqualiter excuſare. Ego Fr. Humbertus Magiſter Ordinis Prædicatorum iniungo vobis Priori Prouinciali eiuſdem Prouinciæ, quatenus circa iſta de confirmanda charitate inter nos, & chariſsimos Fratres Minores litteras has, vel conſcriptum ſub ſigno noſtro faciatis legi per omnes domos Prouinciæ vobis commiſſæ, & excluſis nouitijs, & Fratribus illiteratis exponi vulgariter, & in domibus ſingulis ad horum habẽdam memoriam retineri. Sciatis autem, quod per ſingulas Prouincias ordinis noſtri ſimiles

litteras

litteras destinaui. Sed & Venerabilis Pater Ministèr Generalis Minorum idem fieri per Prouincias sui ordinis ordinauit.

Hæc Epistola ad mutuam pacem, & charitatem fouendam, quam pacem quoque vt dicit Cyprianus ad Antonianum seruare quoq; non possumus, nisi ad inuicem sustineamus, aut si tanta esset humilitatis, & lenitatis obliuio & arrogantiæ iactatio, vt quis, aut audeat, aut facere posse se credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, vt zizania à frumento pùtet se posse discernere, aut quasi ipsi palam ferre, & aream purgare concessum sit, paleas conetur à tritico separare. &c.]

Quæ cum cognita, exploratag; habeamus Patres, vt dicam cum Nazianzeno [ Complectamur nos mutuò, exosculemur, vnum verè efficiamur, eum qui maceriæ interstitium soluit, ac per sanguinem suum omnia conciliauit, atque pacauit imitemur, &c. Omnes in vno spiritu maneamus, vna mente collaborantes fidei Euangelij, vnanimes vnum idemque sentientes fidei clypeo armati, succinctos in veritate lumbos habentes aduersus Satanam eiusque milites bellum gerentes & c. Præclarum depositum, quod à PP. nostris acce-

pimus custodientes. &c.]

Hæc Fratres agamus, ac DEVS pacio- quæ intellectum exuperat, nobiscum erit in CHRISTO IESV DOMINO nostro, cui Gloria in seculum seculi.

AMEN.

Neap. Typis Secundini Roncalioli 1625.

Postea LEOPOLI Ioannis Szeligæ Archiepiscopalis Typographi.

Anno Domini 1628.

FINIS.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0025122

Vol.